
The Dibner Library
of the History of
Science and Technology

SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES




Smithsonian Institution Libraries

Adopt-a-Book

Gift of

Barksdale Penick



Mayo 4

25.e.

MVSÆVM SEPTALIANVM

MANFREDI SEPTALÆ
PATRITII MEDIOLANENSIS
INDVSTRIOSO LABORE
CONSTRVCTVM;

PAVLI MARIÆ TERZAGI
MEDIOLANENSIS PHYSICI COLLEGIATI
GENIALI LACONISMO
DESCRIPTVM;

POLITIORIS LITERATVRÆ PROFESSORIBVS
ERVDITA HVMANITATE
ADAPERTVM:

Cum Logocentronibus, ſiuè Centonibus eiuſdem *Terzagi* de natura *Cryſtalli*, *Coralij*, *Teſtaceorum Montanorum*, *&* *Lapidificatorum*, *Achatis*, *Succini*, *Ambari*, *&* *Magnetis*.

DERTONÆ, Typis Filiorum qd. Eliſei Violæ. 1664.
Superiorum permiſſu.

Don Raphael de Vilosa

Imprimatur.

Carolus Epiſcopus Dertonæ.

Fr. Pius Gamundus Mag. Inquiſitor Dertonæ.

I. C. Carolus Franciſcus Marinonus Prætor Dertonę, deputatus ab Illuſtriſſimo D. Senatore Ioanne Bragherio.

G
64.5
18
33
644
B
MAH

SERENISSIMO PRINCIPI

COSMO III. MEDICAEO FERDINANDI SECVNDI MAGNI HETRVRIÆ DVCIS PRIMOGENITO.

Æternam Inauguratur Felicitatem.

Manfredus Septalius Mediolanenſis.

MINIMA ſunt, quæ MAGNO Hetruriæ PRINCIPI Virtutum, Literarumque MOECENATI MAXIMO venerabundus dedico; Sed *Muſæum Septalianum* ſtatim, ac ſinu ſuo, etſi anguſto, AVGVSTAM accepit VESTRAM SERENITATEM, ſúum quem iamdudum procul agnouerat, modò tandem propiùs ſenſit Apollinem; Gemmarum quarumdam, vt Adamantis, & Succini proprium eſt feſtucas, ac paleas ad ſe trahere, & ferrum quod inter metalla vileſcit ſponte currit ad Magnetem, qui facilè præ cæteris lapidibus

principem locum obtinet. Sic & HETRVRIAE PRINCEPS MAGNVS Magnes eſt, cuius attractiuam vim amoris non modò ſentiunt populorum animi, ſed ad quem etiam accurrens Muſæum meum, quod præ *Medicæo* miraculorum artis, & naturæ theſauro ditiſſimo non poteſt non vileſcere, non ſecus ac ferrum ſuo ſe Magneti ſiſtit. Adamas eſt gemmarum princeps, ſeu Principum Gemma, quæ tenuiſſimas, & exiles toreumatum meorum feſtuculas ad ſe rapit. Phœbus eſt, qui ex Hetruſco, ſeu cœlo, ſeu Parnaſſo illapſus Mediolanenſe hoc qualecunque Muſæum meum, & luſtrat, & illuſtrat, radioſque ſuos ſpeculis imprimens reflexas muſæi totius in ſe ſpecies excipit, quod & proinde ab Apollinis ſui aſpectu Sereniſſimo purgatam (ſi lubet) auſpicabitur frontem. *Sapientia ædificauit ſibi domum* Florentiæ in

Prou 9. Magni Ducis Hetruriæ Regia: in cuius *Sex Orbibus*.

Quid quid Indorum ſeges,

L. ſen. Herc. fur. act. 4. *Arabeſque odoris quidquid arboribus legunt.*

quidquid pretioſitate rarum natura producit, & operoſitate conſpicuum Ars æmula conficit, coaceruari ſuperbit; cum in vno Orbis Vniuerſi globo ſe reſtringi non ſuſtineat. Super terram profugę virtutes iam non eſt, quòd inhoſpitalem deprædicent Mundum; quandoquidem *Medicæis* hæ radijs coronatæ in Hetrurię Regia VIRTVOSISSIMI PRINCIPIS coronant maieſtatem.

Gal. nun. ſid. & de mac. ſol. De *Medicæo Magni Ducis maximo Muſæo* loquor, quod nedum Vniuerſum Terrarum Orbem fama ſua implet, quin, & Cœlo Mædicæa noua ſidera intulit Ioui adſtantia,

tia,

tia, quorum fauſtis actus ego influxibus, & adſtrictus beneficijs, quæ tam florente iuuenili ętate Piſanis Studijs addicti ego, & Carolus frater meus Epiſcopus Dertonenſis à SERENISSIMO FERDINANDO SECVNDO Duce regnante, (quem Deus in æuum ſeruet incolumem) olim ſuſcepimus, quàm quæ nouiſſimè, dum Florentiæ SERENITATIS VESTRAE Hymenęos pompa pluſquam regia celebratos ſpectarem, vterq; ſumma in me benignitate profudiſtis; *Muſæum meũ hoc* etſi paruulum, cuius etiam indicẽ tunc petijſtis, nunc in obſequij expreſſionem *Mediceo* tholo votorum compos appendo, & V. SERENITATI conſecro; vt ſi non quam debeo, aliquantulam tamen grati animi menſuram poſſim rependere: ſique forte paruum cum ſit præ *Medicæo Maximo* MAGNI PRINCIPIS SERENITATI minùs æquo reſpondeat; Illi tribuet amplitudinem nunquam interitura Coronatorum tot Principum memoria, qui ſua hoc præſentia dignati ſunt erigere in Regiam. EXCELSA igitur, ſed benigna recipiat DEXTERA, quod humili, & obſequioſa ex animo offertur manu, faueatq; Veſtra ſemper Inuictiſſima protectio, & affectus tum ipſi *Muſæo*, tum *mihi*, tum toti *Septaliæ* noſtræ Familiæ, quæ mecum tam MAGNO PRINCIPI ad cineres ſeruitutem vouet, vt hactenus cum SERENISSIMO FERDINANDO Patre fauit. Mediolani die 12. Iunij. Anno à Christo nato 1664.

Illu-

ILLVSTRISSIMO DOMINO
D. MANFREDO SEPTALÆ
MEDIOLANENSI PATRITIO
Omni virtutum genere conſpicuo.
S. P.

QVAM de me conceperas expectationem Ingenioſiſſime Manfrede, *vel adimpleui, vel meis hiſce otijs eluſi. Aſſequi enim tua ſolertiſſima inuenta, quæ ſeptem acta alis erant, vel ſyderibus familiaria, non erat ingenij, vel infeliciſſimè ſerpentis. Poetica paroemia, quam bene de te.*

Scire tuum nihil eſt, ni ſic ſcire te ſciat alter,
At pulchrum eſt digito monſtrari, & dicier hic eſt.

quàquà verſum per Terrarum Orbem te vertas, famam ſemper habes præcurrentem, vt quemcumque locum teneas digito ſis vndique monſtratus; ille eſt Manfredus Septala, *fama ſuper æthera notus. Eruditiſſimo* Fracaſtorio *Acutiſſimus* Scaliger *ſtatuas erexit tanquam æterna monumenta virtutis: tu promereris Traianas columnas, quibus erigendis, impar cum ſim, tuæ auguror immortalitati; cui promouendæ ne partes meæ deſiderentur, otia hæc tibi ſacraui, vt tu ſacer eſſes æternitati, & gloriæ. Appoſitos Muſæo tuo Centones ne rideas, tu enim, qui mei noſti paupertatem ingenij, ſcis mihi deeſſe fila, quibus veſtes nouas contexam; Vtinam bene excerptas conſuerim lacinias, ne tanquam ludicra pantominorum veſtimenta riſum legentibus cieant. Solabor tamen, dum ero ſolatij. Irridebunt meas fatuitates, qui feliciori*

Ioue

Ioue gaudebunt, at maiores victimas illi immolent, natus egò infelicibus oris; ampullas proijcere non poſſum, nec verba ſeſquipedalia. Sat mihi eſt Septalij genio, meum adaptaſſe, ſit qualecumque ingenium, dummodo tu probes labores meos; cum improbantibus, prætoris adinſtar ero, de minimis non curantis. Et cœli manna pluentes ſenſere iurgia. Egone ſupra ſidera? Impauidus romanæ quintanæ vicem ſubibo; tuo protectionis clypeo me obtegas, & cadent irrita cuiuſcumque maledicæ linguæ miſſilia. Fac me ames, ego enim te ſemper reuerebor memor canentis Poetæ

Heliodore, Ingens Theſaurus, verus amicus.
Ars quoque ſeruandi, ſit modo nota ſatis.

Vale. Mediolani Calend. Maij 1664.

Seruus Obſequentiſs.

Paulus Maria Terzagus.

Lectori

Lectori Curioſo.

AVCTOR.

DIſce otiari lector, nec offendes iratum Platonem, è republica otioſos eliminantem. Infelix cecinit exul in Ponto Vates


Otia corpus alunt, animus quoque paſcitur illis,
Immodicus contra carpit vtrumq; labor.


Non te perdent otia hæc, & vel in otijs peribunt cupidinis arcus. Pandent tibi otia hæc Septalij labores, vt ſi concinente Tragico

Herculem duri celebrent labores.

Manfredum *curioſi extollant* πόνοι. *Quæ longis terrarum tractibus natura diuiſerat, ſtudioſo vniuit labore, vt doceret virtute præditum, vel aſtris dominari. Habebis quem æmuleris, vel me otiantem, vel Septalium induſtrioſè laborioſum. Criticus ne ſis, ni vitio cares omni; & ſi quid inordinatius calamo effluxit, attribuas affluenti rerum admirandarum vbertati, intellectus diſponentis confundenti. Exotica aliqua curioſiùs elucidata fuere, ne nimiùm ſicca eſſet oratio, multa omiſſa ſunt, otium enim non ſtudium profiteor. Tu ſi otij fugiens, laborem amas, legere ne deflectas, laborem enim docebunt otia. Vale.*

MVSÆI


Ceſar fior F.D.


Ceſar. fior. F.D.

MVSAEI SEPTALIANI

CAPVT PRIMVM.

SPECVLA MVLTIFARIA

SOCRATES Platonici ſæculi decor, ſuos hortabatur Philoſophos, vt Specula inſpicerent, ne faciei nitor animi candorem ſuperaret. Habes porrò ſpecula curioſiſſima Lector, vt diſcas in vultus pulchritudine animum ingenioſiſſimis operibus perpolire.

1 PRimum omnium maximum ſpeculum eſt ex metallo fuſum, quod planum intuenti apparet, cuius diameter trium palmorum geometricorum exiſtit, quod ad quinque ſupra decem cubitos ignem accendit, fideliter impreſſas remittit ſpecies, abſq; vlla ferè obiecti alteratione, vſque ad paſſus viginti. Iacet in æquilibrio, vt acceptos à Sole radios, quò velis reflectere poſſis, Ferrea ſuſtentatur machina ad id affabrè facta.

2 Alterum adeſt eiuſdem operis, quod ad ſeptem cubitos ignit; hæc chalibe conflantur. Sibi demptas glorias hiſcè in operibus plorat Archimedes, noſtra verò ætas gloriatur in Manfredo Septala Archimedem reuixiſſe.

3 Alterum intueberis ex vitro bipalmaris diametri ad ſep-

tem cubitos ignem excitans per reflectionem radiorum.

4 Alterum ex vitro palmum geometricum ſuperans ad quatuor cubitos comburens ſimili radiorum reflexione.

5 Alterum ex vitro vnius palmi ſupra dimidium ad octo cubitos comburens paritèr in quo vix obiecta immutantur in ſpecierum reflexione.

6 Alterum tornatis inſiſtens baſibus admodum concauum quod comburit ſed comminùs inſeruit hoc luſibus mille, diametri eſt quaſi bipalmaris conſtat chalybe in vtramque partem perfectè perpolito.

7 Alterum adeſt ex chalybe, baſi in æquilibrio innitens, ad cubitum cum dimidio igneam impreſſionem extendens, quod ſui puncti lineam ſecans, momento papirum incendit, plumbeamq; pilam temporis ſpatio breuiſſimo liquefacit.

8 Alterum ſuperiori ſimile ſed magis exiguum ſua in ęqulibrio ſuſtentatum baſi.

9 Alterum chalybeatum sphericum, ſed planum.

10 Alterum chalybeatum planum, ſatis magnum.

11 Alterum concauum videbis aliquantulum labefactatum diametri, palmi vnius cum dimidio, ſuo limbo circundatum abſque baſi, ſed muro ſuſpendendum, paritèr comburens.

12 Alterum palmaris diametri, & ipſum comburens.

13 Alterum ex vitro, quod plurimas tibi facies, multiplicatos oculos, geminatos naſos repreſentat.

14 Alterum quod faciem humanæ limites excedentem refert, cuius in medio cauum ineſt, quod ad minimum vultus redigit, ſubiectum vitreum eſt.

15 Alterum ex chalybe puriſſimo concauum, per quod ex ſpeculo obiectum exire videtur, & in medio aere ſe ſiſtere, quod & concauis enumeratis, commune eſt.

16 Speculum quod quoties verteris ſurſdeq; & de latere in latus

in latus, tibi faciem toties ſcurriliter commutabit. Hoc ſublimiori eſt etiam miniſterio dicatum in aerea enim iride quodcumque volueris nomen tibi repreſentabit.

17 Machina in æquilibrio baſi imponitur diceres ſcalam ſex vitreis gradibus conflatam, quibus trigona figura ineſt, ex quorũ lateribus planum vnum retrorſum conſtituũt, per quod lux recipitur in obſcurum cubiculum tranſmittenda per altera duo plana in angulum deſinentia. Feneſtræ hæc imponitur per Solem illuminatæ Iridem transfundit in vicinum cubiculum obtenebratum, quæ ſupradicto excepta Speculo, vbi nomen, vlz. *Ieſus*, legitur hoc inde coronatum, per æra iucundiſſimo intuentium ſpectaculo repreſentat. Cum hoc in editiſſimam turrim tranſmittere Irim poſſes, carceratoſque alloqui verbis charatheribuſq; ſubinde mutatis, prout occaſio poſtulat.

18 Viſitur ligneus circulus eleganter tornatus, cui ſeptem pilæ chriſtallinæ, dimidiatæ ex parte conuexa poligoniæ inſeruntur duarum vnciarum diametri, baſi in æquilibrio innitens: inter punctum centri, & lineam orizontalem ſemipilæ, alter ab arte circulus deductus conſpicitur ad quem non vulgari artificio octo lineæ pari diſtantes interuallo feruntur octo ſcalenos conſtituentes elegantis in cryſtallo ornamenti à circulo verò hoc ad extremum in quadrato eſt exornata cryſtallus oculos mirabiliter paſcens, huius vſus eſt cum ſupraſcriptis triangulis vitreis, iridibus obſcurum cubiculum illuſtrare.

19 Circulus alter tornatili labore inſignis diaphanum ſpeculum continens, in ſeptem concauos circulos excauatum, quorum diameter erit quatuor granorum hordei, vna cum alijs ſeptem minoribus. Hi obiecta multiplicant, corporis minorata mole; ſed naturaliter repreſentant.

20 Eiuſdem laboris ſpeculum alterum obiecta reflectit, cum poſteriora argento incruſtata ſint.

21 Diaphanum aliud concauum limbo ligneo cinctum, quo pictores vtuntur cum paruam figuram ex ampliori mole pingere volunt. Vncias duas cum dimidia eius diameter æquabit.

22 Speculum, ſex ſpecululis tranſparentibus conſtans, varijs, & per bellè diſpoſitis, in tres lineas ſecatur area, quarum primam occupat cum cæruleo flauum vitrum, ſecundam flauum cum viridi, tertiam cum cæruleo flauum; vt non tam opus, quam ordo oculis oblectamento ſint. In eclipſibus mirabilis eorum vſus.

23 Speculum Chalybeatum rotondum; *Moratorais* magnatis Turcæ erat hoc, cum armatæ triremes ſereniſſimæ celſitudinis Florentinæ captiuum duxere, cuius auerſa pars puriſſimo ſuperbit auro, Ottomana inſignia egregiè cælata oſtendens.

24 Triginta duo ſpecula Capſulam intùs exornant, in qua tetragona rota verſatilis ſub ſpeculis conſtituta circulari acta motu, varijs ſpectaculis cauſam præbet; hinc enim ſpecula oculos tuos delicatiſſimè paſcentia nunc tibi obijciunt viridarium elegātiſſimum, nunc ornatiſſimam tibi Bibliothecam adaperiunt reflexionum ope, quas nouit optimè Catoptrica.

Huic inſiſtit roſtrata nauis pulcherrima, quam ab Amſtelodamo cariſſimum Septalio caput Rencius nempe dono miſit, indiſſolubilis, vel longo intercedente terrarum tractu amicitię argumentum. Centum fert ænea, non tam maris, quam terrarum flagella; prototypus iſte; cuius longitudo trium eſt cubitorum, auro vndique rutilans, nauticoq; mundo ditiſſimus. Hoc in conficiendo nautica ars Hollandica ſudauit.

SPECVLA CYLINDRICA
Caput II.

1 TAbulæ pictæ duæ, in quarum centro ſi orizontaliter conſtituantur poſitum ſpeculum oblongum in Cylindri formam fabrefactum, naturalem tibi refert Crucifixum, cui lacrimabunda Virgo, vnà cum Magdalena adſtat.

2 Catopton aliud innumeras figuras repreſentans.

LENTES OPTICÆ
Caput III.

1 LEns optica diaphana, cuius diameter palmi ſupra dimidium eſt, cuius igniens actio per radiorum refractionem ad ſeptem cubitos extenditur in ęquilibrio poſita haſtæ imponitur duobus circumtenſis funibus, & teleſcopij vicem in Caſtris ſubire poteſt.

2 Altera palmaris lens diaphana, quæ in æquilibrio poſita ad quinque cubitos comburit, modo quo præcedens vicem teleſcopij ſupplere poteſt, & baſibus imponi; cum ferro ad id affabrè facto contineatur.

3 Altera lens palmaris tranſparens ſimiliter in æquilibrio baſi impoſita ad tres cubitos cum dimidio obiectum incendens per ſolarium radiorum refractionem.

4 Alteræ duæ lentes, quarum ope, & cominus ſuſcitatur ignis citiſſimè, & ſcuriles redduntur intuentium vultus ad excitandos Cachinos.

TELESCOPIA MVLTIPLICIS LONGITVDINIS. *Caput IV.*

1 TRIA megateleſcopia, ſeu optici tubi longiores quinque ſupra quadraginta palmorum longitudinis, quæ inſeruiunt planetarum intuitui, præcipuèque Saturni ſuper omnes ſublimiùs conſtituti, cuius Heteroclita forma ciet philoſophicas pugnas, inter inſignes homines; qualis eſt *Eugenius ab Hogelande*, *Euſtachius Diuinus*, vt videre eſt in reſponſo per *Patrem Fabrum* Diuini iuſſu Eugenio datum.

2 Duo altera, triginta palmorum, quæ in vſus faciliùs adhibentur, quibus per optimè cœleſtia corpora inſpiciuntur.

3 Altera quatuor, palmorum 23. e 25. vſus facillimi, quibus frequenter Septalius vtitur.

4 Multa alia, palmorum decem, & octo, & quindecim, vitris conſtant quatuor quorum vnumquodque cannulis ornatur, tot teleſcopiolorum vicem ſub euntibus, vt confuſionis habeatur punctum, quod magni momenti eſt in obiecti clarificatione.

5 Alia multa, duorum triumue cubitorum non multi laboris, hæc amicorum ſatisfaciunt appetitibus. Tria his inſeruntur vitra, & ſex, ſi lubet, ſed lucidior operatio ſequitur, ſi quatuor.

6 Varij Tripodes variegatis laboribus expoliti, quibus haſta imponitur, ſiue columna cum ſuo nucleo per ginglymum compacto Tubum opticum ſuſtentante.

7 Adeſt peregrinantis baculus, qui ingenioſæ ſtructuræ, temporis inſtanti dilatatur in tripodem, cuius cacumini fulcimen adaptatur, Teleſcopium ſuſtentans.

8 Arundinea dein. 45. e 30. cubitorum ſtructura particularis Septalio eſt ex abiete; quinque cubitalia fruſta ſunt,

quæ

quæ elegantiſſimè maxima cum leuitate, & rectitudine vniuntur.

9 Aliud Teleſcopium cuius figura ſolidiſſimi aſſerculi adinſtar, quatuor pedibus ſuſtentati, ex vno latere ergati, & in medio tigilum quadratum continentis, decem cubitorum altitudinis. In vno tigili laterum angulo duæ adſunt ferreæ zonulæ, tigilique cacumini inſiſtit rotula, per quam tranſmiſſus funis pulcherimo artificio extollit, & dimittit nauticæ ad inſtar arboris. Tibi videberis intueri antennam argano tractorio exaltatam: ex eo enim latere vbi conſpiciuntur ferreæ zonulæ, adeſt ſemicirculus magni Teleſcopij ſuſtentans, quam ope ergati nunc ſublimas, nunc profundas prout planetæ ſitus requirit. Hunc duarum cannularum decuſatarum benefitio aſſequeris, quem dum tenes, Teleſcopij vel exaltatione vel depreſſione ſecundas, ſciens, quo longius erit Teleſcopium eo citiorem planetæ motum apparere ſtructuræ huius eximiæ inuentor ſuis non eſt defraudandus laudibus quas non ſpernendo deditus labori, promeruit. Florentiæ floruit acutiſſimi ingenij Sacerdos, cuius polimicania Sereniſſimi magni Ducis affectum illi comparauit. Nomen huius, *Candidus à bono*, in hocq; *conueniunt rebus nomina ſæpè ſuis*.

Omnia ſupradicta Teleſcopia, Nobiliſſimum nempe opificem Septalam noſcunt, vt etiam prototipi ex quibus typi ducuntur.

10 Adſunt Microſcopia huiuſq; ſpeciei tam ex vno vitro, quam duobus, & tribus conſtantia, hæc & obiecta prout ſunt in ſe referunt, & aliquando adaugent; proſpicua tamen Excellentiſſima ſunt Monouitra vnciæ quartam partem non excedunt, vt etiam Microſcopiola, quæ capillum ad calami ſcriptorij craſſitiem reddunt.

INSTRVMENTA MATHEMATICA

Caput V.

1 SPHÆRA armillaris opus inſigne celeberrimi illius *Gianelli* Cremonenſis *Philippo II. Hiſp. Reg.* acceptiſſimi ingenioſiſſimum continens motum trepidationis præter duos alios motus primi, & ſecundi mobilis. Hac in Sphęra tanquam in Cælis ſuum æternauit charatheribus nomen auctor, vnà cum die, quo in lucem edidit partum admirandum.

2 Sphæra altera armillaris, ingenioſiſſimi Septalij opus cum duplici motu primi, & ſecundi mobilis, & eccentrico circulo.

3 Argenteus Globus Cœleſtis ad cuius ornatum ſydera confluxere omnia, vnà cum cœleſtibus ſignificationibus.

4 Alter ex auricalcho, opus Patris Biffi.

5 Modernum aſtrolabium cuius diameter palmi cum dimidio.

6 Priſcum Aſtrolabium cuius diameter palmaris.

7 Magnum Inſtrumentum bipalmarem diametrum excedens ex aurichalco natiuitatibus inueſtigandis, & horoſcopis facillimum; ſtatim enim ducit ad planetarum domos.

8 Linea Panthometra, Egregius Septalij labor, vnà cum ſuis diuiſionibus libroq; manuſcripto omnium operationum duce.

9 Alteræ duæ lineæ Pauthometræ.

10 Circinus Gallilei, Septalij Opus.

11 Circini duo ex auricalcho, opera magni vrbinenſis *Barotij*.

12 Magnus Circinus longitudinis duorum palmorum cum dimidio, octo cum apicibus iuxta occaſionem mutandis, ſuo cum ſemicirculo.

13 Circinus

13 Circinus alter cuius in medio trochlea, vna cum duobus ferris ſic temperatis, vt diducant vel conſtringãt circinum, prout trochlea acta fuerit.
14 Circinus Palmaris alter cuius extrema ambo mutabilia ſunt.
15 Sphęra armillaris altera.
16 Circinus alter chalibeatis apicibus, duabus inſignis inuentionibus, quibus quamcunque pilam, cuiuslibet metalli dimetior. Dono dedit hunc Gallicus bombardarũ præfectus.
17 Circini ex aurichalco geminati, quibus eodem inſtanti temporis, plures dimetiris quantitates, medietatem nempe, tertiam, quartamq; partem.
18 Inſtrumentum aliud ad Septalium recenter delatum palmi ſupra dimidium longum, latitudinis duarum vnciarum ſupra dimidiam, quod cui nam inſeruiat latet adhuc: ingenioſum tamen opus, maximaque induſtria elaboratum promeretur, vt in melititirij naturalis exornationem reſeruetur.
19 Aſtrolabium alterum ex Ioue confectum, ſed vetuſtatem redolens.
20 Inſtrumenta duo cum ſuis nucleis quadrantis vicem ſubeuntia.
Inſtrumentum aliud, quaſi quadranti ſimile.
21 Globi duo Cœleſtis, & Terreſtris, mediocres Ticonis.
22 Globi duo Cæleſtis, & Terreſtris mercatoris.
23 Globuli duo Cæleſtis, & Terreſtris per exigui omnes iſti miniatura conſpicui.
24 Aſtrolabium pulcherrimum, cuius vſus in Mari Oceano, donatum ab vno indicarum viarum peritiſſimo itinerante.
25 Inſtrumentum ouatum bipalmaris ferè longitudinis, maximo flexibilique ferro, varijſque rotis conſtructm per hoc, in cubiculum, mota machina ingreditur elephas
cui

cui rector inſiſtit. Inſtrumentum numeris omnibus abſolutiſſimum eſt tempus verò de elefante triumphauit reſtituetur tamen in integrum ſic curioſitatis mandante lege.

HOROLOGIA VARIIS ARTIFICIIS CONSTANTIA. *Caput VI.*

1 SVbſequuntur horologia *plautino paraſito* adeo inuiſa, vt diris, ſubſequentibus Carminibus inuentorem damnet illorum. Vt illum dij perdant primus qui horas reperit quique adeo primus ſtatuit hic ſolarium; qui mihi comminuit miſero articulatum diem, nam me puero vterus erat ſolarium multò omnium iſtorum optimum, & veriſſimum vbi iſte monebat eſſe, niſi cum nihil erat, nunc etiam quod eſt, non eſt niſi ſoli lubet; itaque adeo iam oppletum eſt oppidum ſolarijs maior pars populi aridi reptant fame, Clepſidris tamen antiquitus, Iouis, & Themidos tres gnatæ ſignabantur. Tres enim deas horas cômmenta fuerat miſterioſa antiquitas, de quibus Poeta cecinit.

Et Iouis, & Themidos horæ de ſemine natæ
Eunomia, atque Dice, atque Irene diues, & omnes
florentes vernæ.

Cynocefalo quoque ſignauere Egyptij horas ſub ęquinoctio duodecim paribus interuallis in diem vrinam reddente. Clepſidra vero erat vaſculum vitreum, per quam guttatim defluebat aqua incluſa, ſtillicidioque exhauriebatur ducto nomine, ab apocripto, & idor, quod abſcondere aquam ſignificat. Deſcribit eius vſum *Lucius Apuleius lib.* 3. *de aſino aureo*.

In vrbe Achanta trans Nilum primo excogitatæ clepſydrę fuere ex *Pierio 6. Hyerogliph.* euiluit, nunc autem illarum vſus acutiorque poſteritas Poetæ canendi occaſionem dedit,

ſum-

Sumpſerunt artes hac tempeſtate decorem, nullaque non melior, quàm priùs ipſa fuit. Teſtatum hoc in ſubſequentibus admirandorum Horologiorum epigraphis intueberis.

2 Horologium Auguſtani æmulum octo sphæris conſtans: Prima aperit longitudinem dierum, noctiumque totius anni, indicatque quadrantes, horas, & ſemihoras; quæ per puriſſimos Chalibes auribus tranſmittuntur, ſed differenti ſono, ita vt quadranti, ſemihorę, & tritiquadranti, & horæ proprium ſit tintinnabulum: Zodiaci aſteriſmos, ſphæra altera indicat medij operis anaglyptici: Altera hebdomadarios ſignat dies; Anaglypticis figuris dimidiatis ſignat altera quadrantes Hiſpanicas horas, ſeu aſtronomicas refert altera: Altera Babylonicas: In sphęra autem maiori, ex parte auerſa, adeſt aſtrolabium exquiſitiſſime elaboratum, cum dracone per quem rotatur Sol, caudamque tangens luminis deliquium patitur: Lunæ quoque conſpiciuntur faſes planetarumque omnium, opus ſane, in quo bene adeo tempus coemicat, vt ab iniqua temporis conditione ſubtrahi promereatur.

3 Alterum Horologium ſextrimeſtris motus quaſcunque anni ymeras oſtendens, feſtiuitates ſanctorum, omnia zodiaci ſigna, Lunæ faſes, dieſq; hebdomadarios.

4 Horologium excitatorium, forma Turris.

5 Horariolum alterum molis, per exiguæ, æquipondiale, ſonans, ſubiectum auricalchum eſt turritæ formæ, fidiſſimi motus.

6 Horologium ab Sereniſſimo magno Florentiæ Duce dono datum, cum pendulo tritimeri motus, & iuſtiſſimi.

7 Pulcherrimum aliud Horologium illius in morem quod Magiſter Campanus iuſſu Alexandri Septimi Pontificis Maximi pendulo confecit, opus non tam operis curioſitate, quam infallibili horarum deſignatione conſpicuum. Noctu vſus precipuus ſed tanto mouetur ſilentio, vt nocturnam non interturbans

turbans quietem, ſi euigilaueris, actus deſiderio ſciendi horarum numerum, nullo negotio tibi ſatisfaciat. In tenebris lucet, luce non moleſta; tantùm enim affert lucis quantùm horam ſignans numerus auricalcho inciſus poteſt tranſmittere. Elegantia extrinſeca operis pręcipua hæc eſt: Emergit ex orizonte v. g. hora prima, tanquam Sol ex oriente, in occidentem rotatura, dum ſemicirculum Sphęræ conficit, tranſit ſub ſignatis quadrantibus pari interuallo diſtantibus, primo nempè, ſecundo, & tertio, dumq; occidentem prima ſubit, in oriente ſecunda enaſcitur, ſicq; verticali labore omnes horæ circumrotantur. Duo ex iſtis Septalius poſſidet quorum fabricæ Flander inſignis inſudauit, ab Excellentiſs. Comite Fuenſaldagna immortali pacis reſtauratore, in Italiam ductus peritus non ſolumodo Horologium opifex, quam Mathematica Inſtrumenta conficiendi.

8 Alterum Horologium abſque flexibili chalybe, nec cochlea, quod nunquam intenditur; ſed aſſeri alicuius decliuitatis impoſito ex ſe mouetur ad vſque puncta aſſeris terminatiua; ad quæ dum peruenerit, aſſeris principio reſtituitur, & motui.

9 Varia Horologia viatoria penſilia, ſonantia excitatoria, non tam menſium, quam Lunæ dies, aliaſque curioſitates oſtendentia.

10 Alter horarum Index, quem Sereniſſimus Archidux Sigiſmondus vna cum Sereniſſima Archiduciſſa Muſæum humaniſſimè inuiſens gratioſiſſimo Septalio dono dedit.

11 Clauicimbalum intus rotatum horologium continens nouem ex ſe innouans ſonos; ſpecula huic ſuperſtant; quinque exornata figuris, quæ fidium modulamini paſſus concordant.

12 Simile alterum nouem ex ſe edens Pſalteria, huius cacumini quinque aliæ figuræ ſuperſtant, Gallicis eleganter adornatæ veſtibus, muſicè ſaltantes.

13 Aliud

13 Aliud Inſtrumentum ſonans, vmbraculis tribus frondeis diſtinctum, vnum occupant quinque figuræ tripudiantes; alterum menſæ aſſidentes tenent, quę pocula ori admouentes ſi propriam non extinguunt, alienam excitant ſitim. Occupat Matrona tertium quæ brachium extollens tympanizare videtur, cui fidicula elegans concordans iuuenis, brachium mouens, imaginarium melos nullibi delicatius perſonat.

14 Alterum Clauicymbalum varias ex ſe promouens muſicas ſonationes ſuperſtat huic pulcherrimus Canis.

15 Tigris, cuius in pectore horologium, oculos mouens; natalibus Germanicis.

16 Horologium Solarium, abſque magnete inuentionis laudandæ, magnetici vero inuentor primus Silueſter Secundus Pontifex Maximus.

17 Perpetuum Horologium pro qualibet poli altitudine argenteum.

18 Lunaria Horologia magna.

19 Horologium alterum per quod duce luna, horas noctu aſſequimur.

MOTVS QVASI PERPETVI.

Caput VII.

PRimus eſt ſupra ſpeculum baſi innitens, per quod ex aurichalco de latere in latus pila decliuiter vadit, ſubiens portulas ad id affabre factas, vltimam autem poſtquam ſubierit, muſicales tres Campanularum ictus edit, occultoque accedens ad principium itineris, ſe denuo volutatura dat in conſpectum.

2 In ſecundo Turris tibi contemplanda obijcitur, eminens compoſitoris ingenij acumen repręſentans, quadrata facie,

facie, pyramidali figura aſcendit in altum, cuius cacumen chalybeata campana coronatur; eleganti munere fungente. Trium palmorum ſupra dimidium altitudinis eſt, factitijs compta viridarijs, vndique cincta vitro, quę dum extera ab offenſione arcent, ſua diaphaneitate gratum oculis, & opus, & ſpectaculum adaperiunt. Ligneis interdiſtincta excauatiſque limbis, leni decliuitate; per quos ex apice decurrens pila grato murmure quatuor adiens ſpeculas, in vltimo limbo conſtitutas, ſonanti chalybe munitas, quater muſicaliter ſonat, deinturris portam ſubiens incognito ſed ingenioſo artificio, rectà traditur ſurſum in coronantem Campanulam, qua pulſata, quaſi ſuis glorioſis applauderet motibus, per portillam inopinanter exit, quæ ſtatim clauditur, ac niſi curioſiùs obſeruaueris, vides rotantem pilam, ſed vnde venerit neſcius, ſicque redit labor actus in orbem. Anguloſa limborum latera ex ferreo filo annuli ornant, retundentes pilæ decliuem impetum, ne exeat ex officio. Conſtruendo Horologio poſſet inſeruire temporis enim minutum inſumitur in quolibet limbo percurrendo, vnde datis ſexaginta limborum verſibus iuſtiſſimam horam haberemus. Rota hic nulla adeſt, nulla ferri flexibilis laminula, ſed ingenioſa in inuentione, totum opus fundatur.

3 Tertiò viſitur machina altera ſuſtentata baſi, in quam puriſſimi Cryſtalli immititur globus ſe mouens de latere in latus, ſed contra naturam grauium apparenter aſcendit, vltimamque taugens campi motorij lineam, præcipitatur in primum punctum ſui motus, quem dum tangit elegantiſſimum ſi obſeruas, intueris viridarium, ſtatuamque Æneam; hincq; indefeſſus athleta aſcendendi laborem reaſſumens videtur per aera nullo innixus ſolo iter ſuum conficere. Motus nunquam ſatis laudatus, & quoſcunque intuentes ſtupore defigens.

4 Quarto

4 Quarto loco Circulos elaborauit duodecim ex auricalco Septalius, quos politiſſimè tornauit, excauauit, & vno in puncto incluſos dein conſolidauit. Hi ita diſpoſiti ſunt, vt triplicatam turrim repræſentent. Globulus ex auricalco ſemicirculo imponitur; omnes illos circulos ſuauiſſimo murmure perreptans, imumque tenens, præcipitatur in canalem, ex quo ſtatim rectà ſublimatur in ſuperſtans ſuum tectum, foramineque exceptus tubulo traditur per quem ſemicirculis redditus ſuum magna cum intuentium admiratione iter repetit.

5 Quinto Baſis ſuſtentans capſulam, ſpeculi plani continentem, ſupra quod orizontaliter conſtitutum cum Helenis diſponuntur Hectores, qui curſum quaſi Gallicum ſaltantes, ſe ad inuicem inſequentes circulariter mouentur; ſed quàm ſtupens in magno circo formant, ſe voluentes epiciclos; Septalij adſtantis mandata inuiolabiliter obſeruantes, quàm enim ſtare iuſſerit, caue ne moueatur, donec mandans, illi mouendi facultatem denuo conceſſerit. Ludicra alia ſpectacula ſuper hoc ſpeculo tibi exhibentur naues, triremes, currus præcipitanter mouentur abſque remis, abſque iumentis, fœlix inuentum ſi vt in oculorũ ſolatia, in hominum commoda tranſire poſſet. Elegans ſanè, ſed ignotum artificium, quod dum oculos paſcit, animum ſiti deſiderij ſciendi exanimat.

6 Altera Baſis, quæ Scenam venationis repræſentantem ſuſtentat, cum primarijs mulieribus equites venantur ceruum, equis inſidentes, dum mouentur, Speculi exagoni circumambientis ope innumerus nimpharum, equitumque venantium chorus apparet.

7 Baſis altera Specus formidandum continens, quod incolit monſtrum horrendum informe ingens, cui lumen ademptum: increpatur digito lingula quæ poſtica parte exeritur, patet ex templo porta, terribiliq; reboatu informe caput conſpicien-

ſpicien-

ſpiciendum datur, vtrique auri ſubſtat cannula, ex quibus tacto filo ſerpentes duo furioſè exeunt, meticuloſarum mulierum terribile territamentum. Virorum verò ridendum ludicrum. Reſipiſcentibus à terrore mulieribus, ſeque in cachinnos effundentibus; dum vanam metus cauſam contemplantur, ſtatim ſuperſtans adaperitur feneſtella, deformiſſimum exhibens caput, exprimens è mulieribus non nunquam voces opis imploratrices, immane os aperit; bipalmarem exerit linguam, ignitos inuertit oculos, a ſinigias mouet aures, ſedatoque metu, cachinnos in mulieribus geminat.

8 Tabula Decahedra baſi innitens retortis quatuor ornata ſemicolumnis, in decagona area Circulus deductus eſt, à cuius peripheria centrum verſus verba multa ſale faceto condita paribus diſtantia momentis ſunt inſcripta. Rotatur extra peripheriam ſcorpio, vel lacerta, præſentis Septalij mandata promptiſſimè obſeruans, ita vt vbicunque iuſſerit motum ſiſtere, commoretur, directam ſignans vocem, quæ vel eruditæ confabulationis anſam ſuggerit, vel cachinnorum occaſionem ſuppeditat.

9 Vaſa duo vitrea cubitalia rotunda, craſſitudinis vnciæ cum dimidia, elegans tubus ex vna parte imperforatus, per foramen pollicis capacem; ſic aqua repletur vt eadem comprimentis pollicis ſentiat actionem. Immittuntur ſcurriles figuræ quatuor, in aquam encauſticæ, quæ aſcendunt, deſcendunt ad inuicem, prout illis Septalius imperauerit.

10 Alterum aqua plenum, cuius tubulus in ampliorem molem dilatatur cacodæmonis pilulam capite ſuſtentantis eſt carcer, hominis promptiſſimè iuſſa, vel inuitus exequitur, in altum tollitur, fundum petit, ſi iuſſeris. Ibiq; Italicum adagium in actum reducitur in ampulla Diabolum videndi. Ludicrus luſus, alijs fit etiam figuris, quarum copiam maximam Septalius poſſidet.

11 Globi

11 Globi tres vitrei ſtillatitia aqua repleti quorum vnus maris vice fungitur pro encauſtrica Sirene, globi medium occupante; alter cubicularem refert piſcinam, dum in eo encauſticus piſcis laſciuit, tertius verò Delfino exultanti ſupplet oceani partes. Admoto magnete quoquouersùm mouentur immobilia animalia, tanta eſt magneti vis vt vel Cryſtallum penetret denſiſſimam, conſtrui ex his *Horologia*, poſſunt prout ab Athanaſio Chircherio profundiſſimo magnetico deſcribuntur.

CORALLIA DIVERSI COLORIS, ET FORMÆ. *Caput VIII.*

1 Coralliorum Natalia in logocentronibus elucidata adinuenies nunc accipe quid de ijs ſenſerit Marbodeus Gallus.

Corallus lapis eſt, dum viuit in æquore vimen.
Retibus auulſus; vel cæſus acumine ferri
Aere contactus fit durior, & lapideſcit;
Quique color viridis fuerat modo puniceus fit,
Et veluti arbuſti ramuſculus eſſe videtur,
Circa ſemipedem vix longior inueniendus.

Poeticę tamen cantilenę me parum mouent erige animum lector pretioſiſſimam hic coralliorum piſcationem intueberis.

2 Perfectiſſimus, maximuſq; corallij ramus, rotundus, fruticans vndique ramulis intensè rubeſcentibus, ebenina baſi ſuſtentatur.

3 Cinnabarinus ramus alter, & maximus, cuius diameter, in longitudine, in latitudine palmus eſt geometricus ebenino fulcro innixus.

4 Alter magnitudinis eiuſdem eadem baſi fulſitus, coloris medij inter impensè rubentem, & Cinnabarinum.

5 Ramus alter ebenina baſi, radicibus lætus in arborem perfectiſſimæ rotunditatis ſe ſe expandens.

6 Truncus alter Cinnabarini coloris fruticans in ramos, diametri ſemiunciæ, perfectiſſimo colore rutilans. Admirabilis truncus non tam ratione pulchritudinis, quàm corporeæ molis, ex vno enim latere rotulæ extraherentur diametri quadrantis ſupra vnciam. Simili qua alij baſi fulcitur, ſcrinij vagiſſimi ornamento dicatus, inferiùs deſcribendi.

7 Ramus alter non tam corallino pretio, quam cælatura inſignis. Peritiſſimus artis cælatoriæ ſiculus dum Suſanæ hiſtoriam ſic alpſit ſe immortalitati conſecrauit aptiſſimum ſanè hiſtoriæ ſubiectum, vbi enim meliùs incideretur pudibunda mulier quàm in rubenti corallio? quid meliùs ardentes effigiaret ſenes carbonino corallio? leonino ebeno inſiſtit conſpicuum opus.

8 Perfectiſſimi coralij ramus alter, ſupra ebeninam baſim.

9 Ramus alter armatum hominem cęlatura elegans, ebenina baſi ſuffultus.

10 Ramus alter ſatis magnus, & impolitus, nec dum amphitritis ſecundinis expurgatus.

11 Alteros ramos tres quos liburno Septalius tranſtulit, ſed in itinere noxam paſſi ſunt.

12 Candidus corallij ramus, pretio longè aurum ſuperans.

13 Pulcher ramus alter, candidam referens carnem, eſſentiæ perfectiſſimæ.

14 Alteri duo rami, coloris carnei, ſed intenſioris, ebenina baſi ſuſtentati.

15 Stylobatę quinque diuerſis coralliorum ramulis ſuppoſitę, quorum vnus candidus eſt, rubeus alter, aliquo carnei coloris charactere, tertius carnei coloris, cynabarinus alter, carboninus quintus elegantiſſimum florum faſciculum referentibus omnibus.

16 Coral-

16 Corallina manus pulcherrimi coloris, ſiculi opus encauſtico deuincta auro ebenina in ſtylobata.

17 Delphinus, cuius dorſum premitur pila, tam bene interiùs excauata, vt in quodcumque punctum feriat viſualis radius, diaphanam noſcat, per caudæ foraminulum inſufflatur ſpiritus, non ingrati Sibili efficiens, flexibilis ferri induſtrioſa laminula Delphini collo per aurũ annectitur, quę preſſa digito, Delphini caput per medium aperit meditullij vice Sanctæ Thereſiæ nobiliſſimam effigiem conſeruans. Ori, dentibusq; Delphini non inſudaſſe, artem, ſed fuiſſe à natura enixi videntur, licet ſubtiliſſimum opus, acutiſſimum ſiculi ingenium commendet.

18 Truncus alter Corallinus tantæ molis, vt globuli triquadrantis diametri ex illo confici poſſint.

19 Truncus coralliorum alter, coloris ordinarij ſuper baſi. Corallinum Idolum ſuper baſi. Coloris carnei alterum Corallium, in quo viuit effigiata Sphinx.

20 Rami duo Nigricantium pſeudocoralliorum diceres in his, tenebras ſplendeſcere, adeo per polita conſpiciuntur.

21 Albi Corallij Pulcherrimus Truncus rubei Corallij maculis elegans.

Alterum Palmi Geometrici fruſtum Antipathis, ſiuè corallij nigri; luſit natura ſuper hoc; rubeo enim corallij cortice nigrum faſciauit. Fundit truncus idem ramulos diuerſos rubentis corallij; ſed excreſcens medulla corticem rimauit rubeum, ex quo latens nigrum prodit in conſpectum.

22 Palmaris cochlea corallinis onuſta ramis illinc enatis, ſuſpicor hæc ortum habere, è guttis cadentibus ſemine corallino turgentibus, dum corallium reſcinditur cadentem ſuccum alij lacteum, alij rubicundum affirmant. Ego vtrumque admitto. Sic reor enatum corallium quod in Muſæo Piſano Magni Ducis Etruriæ viſitur ſuper cranium humanum, ſic

enata Corallia, quæ ſuper anchora pariter conſpiciuntur.

23 Corallinus ramus niueus, ſuper Oſtrea enatus, quaſi diaphanus pullulat ex hoc ramulus alter rubeus, crederem ex gutta rubicundioris ſeminis inibi delapſa.

24 Oſtrea altera, cuius interiora corallina cruſta tecta ſunt exteriùs frutificant vndique ramuli rubei corallini rutilantes.

25 Varij rami enati ex alba coralloide friabili. Tophacea fruſta duo, ex quibus corallia emergunt.

26 Candidiſſimæ Coralloidis, vigintiquinque librarum pondus ſuperans fruſtum, ex mari rubro allatum ſua repoſitum baſi. Vide de Coralloide *Olaum Vormium in ſuo Muſæo lib. 2. cap. 3 5. Vlyſſem Aldrouandum Muſæ metal. lib. 3. cap. 2.*

27 Fruſtum aliud coralloidis intus albicans ſuperficie coloratiori. Hæc Tebarca Inſula mittit, marinum fœniculum nonnulli appellant, in quinque aſſurgit ramos triquadrantis vnciæ diametri, dono dedit *Princeps Landus*, cum aliquibus oſtreis.

28 Fruſtum coralloidis duorũ pugnorum molem ęquans ex maiorica, caſtani coloris vndique foraminulatum.

29 Peruagum fruſtum ſpongioſæ coralloidis, coloris cinericij, in metam excreſcens dono dedit *Eminentiſſimus Cæſar Cardinalis Montius Archiepiſcopus Mediolani.*

30 Magna moles albicans, de qua haud facile eſt decernere ſint ne candida corallia in cryſtallum tranſeuntia; an Cryſtalli forma corallina, cum diaphana alicubi perſpicuitate moles reſplendeat. Eruta hæc fuit è Sardiniæ cripta dono dedit Ianuenſis Eques.

31 Bicubitales rami, marini ſalicis, è topho rubentis coloris enati.

32 Mexicana Coralloides nigra reticulatum referens minutiſſimè opus, quo mulieres in Mexico pro ventilabro vtuntur

tur ventilabri forma edita à natura ſunt, tam a ffabrè, vt videantur filo ferreo contexta.

33 Mexicana altera coralloides in ventilabri formam glaucei coloris, è petrificato fungo enaſcens.

34 Bipalmaris altera coralloides Mexicana ventalij vicem gerens, coloſini coloris.

35 Altera ſuppoſititiam barbam tam bellè referens, vt niſi manibus contrectaueris, fallatur abſque omni dubio oculus, iudicans eam pilis eſſe contextam.

36 Rami tres ſupra baſes albicantis Coralloidis ſpongioſę, e rubeo mari extractæ.

37 Tubularię purpurinæ, coloſinæque tria magna fruſta icones referunt, quos pro pſeudo corallio rubro calamite propoſuit *Vlyſſes Aldrouandus ſup.cit.cap.* naturaliter expreſſam vide apud *Ferrantum Imperatum lib. 27. Hiſt. natur.*

38 Alcionij duo.

Arborea alcionij moles, duobus inſignita ramis rubri corallij.

39 Magnus è Tebarca Coralloidis ramus, ſed longi itineris noxas ſenſit.

40 Oſtreæ duę, haud certò ſcias corallium ne, an coralloides; ſaturatioris vna coloris, altera Cynabarini.

41 Globuli ſex, quorum medietas alba, altera rubea.

42 Duodecim globuli magnæ molis colorum elegantiſſimorum.

Exſiccat, aſtringit, & refrigerat corallium chymiciq; medici quanta poſſit, optimè norunt, ita vt per ipſum ſanguis quodammodo renouetur vnicũ naturę balſamum. Extrahunt tincturam, eſſentiam, ſalem admirabile humani corporis condimentum, ex his magiſterium, butyrus, ſyrupus conficiuntur; non leuia medicinæ ornamenta.

CRYSTALLI CRYSTALLORVMQVE mineræ, Amethyſti, & Achatis.
Caput IX.

1 *CRyſtallus Glacies multos durata per annos,*
Vt placuit doctis, qui ſic ſcripſere quibuſdam
Grandinis antiquæ frigus, tenet atque colorem.

SIC cecinit Marbodeus, an hæc vera ſint ſeueriori calamo in phyſicis logocentronibus examinabimus, tu interim lector excipe, in quibus natura admirationi eſſe vult, non verò intelligi.

2 Fruſtum magnum, ſupra marmor, Cryſtallinæ mineræ, pullulantibus Cryſtallis vagum, & aſperum.

3 Cryſtalli fruſtum pilis, & atramentarijs maculis infectũ.

4 Fruſtum aliud adeò pilis quodammodo conſitis plenum, vt Lanam referat.

5 Fruſtum longitudinis trium vnciarum, craſſiori gramine plenum.

6 Aliud longitudinis eiuſdem, continens nigros pilos, caudæq; equinæ ſimiles.

7 Aliud ligna, & viridiſſimam herbam continens.

Eiuſdem altitudinis aliud herbulam ſubtiliſſimam continens.

8 Aliud longius exquiſitiſſimi argenti granulis refertum, vt experientia docuit rerum magiſtra. Simile obſeruauit *Georgius Agricola.*

9 Fruſtum aliud, cui paleæ, & ligna inſunt.

10 Aliud palea, auri virgulas referente refertum.

11 Aliud magnam continens herbæ quantitatem. In auerſa parte S. Franciſcus orans concomitatus conſpicitur, ſacris

ſacris ictus Stigmatibus.

12 Aliud cui quadrati inſunt canales à natura producti.

13 Fruſtum aliud, duarum vnciarum diametri. In hoc quam plurimi vermiculi; Martialis viperæ in Succino tumulatæ non inuident, cum Cryſtallino Mauſoleo ſepeliantur.

14 Fruſtum maximum lucidiſſimum, & pulcherrimum ſerico viloſo, viridique, centrum fruſti occupante. Emicat tam bene viriditas, vt ſmaragdum ſinu fouere videatur. Proh bone Deus? quales naturæ luſus, quam maxima noſtri ignauia: entia videmus, productionem ignoramus; Socratis verbis vnanimes vti poſſumus *hoc vnum ſcio me nihil ſcire*.

15 Aliud Holoſericum referens; quod felpam dicimus.

16 Cryſtalli fruſtis duobus, chimici ignis ope, rubini color impreſſus.

17 Cryſtallus altera, topazij æmula coloris, vel Succini.

18 Cryſtallus altera vini colore, & naturali conſpicua.

19 Duo Cryſtalli fruſta vnita labruſcis repleta.

20 Cryſtallus altera pilis plena nigris canaliculis quibuſdam inſignita interiùs vitrea æmulantibus, ni operis nigri encauſtici velles aſſerere, manum opificem quæ fuerit ſtudioſius quære lector illam ego tibi ſuggerere nequeo.

21 Variæ pilæ Cryſtallinæ, quarum prima eſt vnciarum trigintaſex.

22 Altera vnciarum ſexdecim.

23 Altera magis exigua.

24 Altera quaſdam curioſitates ſinu fouens. Ouatum includendum Sycunculo lucidiſſimum.

25 Pila triangularibus, vndique ſcabra aculeis, operante matheſi in eius elaboratione de hac inferiùs habebitur ſermo, quæ huic aſſimilari poſſit necdum fuit conſtructa.

26 Altera cuius diameter vncialis, ignis induſtria hyacinthino colore refulgens.

27 Cryſtalli fruſtum, quinq; aquæ ingenitis guttulis conſpicuum, quarum vna motæ Cryſtalli motum inſequitur. Seruatur in exiguo triangulo à natura producto.

28 Fruſtum aliud, cui, gutta quæ mouetur, ingenita.

29 Fruſtum aliud curioſiſſimum tres nigri liquoris guttas habens ingenitas, ſequeſtrauit has, in alueolis natura, ne puriſſimum opus conſpurcarent; ſuo tamen in nigrore Cryſtallum illuſtrant: duabus enim deſcendentibus, media aſcendit, naturali miraculo. Heus Ariſtoteles, vbi nam tua grauitas adigens aquam deſcendere, hic vel te nolente deſcendit, & aſcendit indicans, elementa poſſe in quamcunque partem moueri, vt mixtorum generationibus inſeruiant, auderem dicere in canaliculis, per quos feruntur dari de facto vacuum, etenim ſi adeſſet aer, aſcendentis deberet impedire motum ſecundum enim Ariſtotelicos aqua aere grauior eſt. Ergo vel theſim hanc Ariſtotelici deberent deſtruere, vel concedere in vacuo poſſe dari motum, ſententia quam moderni acutiſſimè phyloſophi multis experientijs defendunt, comprobant, ſtabiliunt; Licet *Pater kircherius* ſua in arte magna conſoni, & diſſoni flocci faciat. Sed pace tanti viri dixerim rationes præcipuas ſubterfugit quæ erant examinandæ, enucleandæ reſoluendæq; vt ſuam corroboraret opinionem.

30 Fruſtulum aliud, in quo guttula aquę perexigua viſitur, quæ per canaliculum, quadrantis vnciæ mouetur.

31 Aliud guttam habens ingenitam currentem per ſemicircularem canaliculum terminantem in beryllum.

32 Exagona, vndique beryllorum molles.

33 Altera Cryſtallorum minera, in qua exagonæ generantur omnes.

34 Cryſtallorum minera, plumbi mineræ inhærens triangularibus apicibus, in huius medio viſitur minerale plumbum, & ipſum trita ædron.

35 Mi-

35 Minera altera coloris violacei.

36 Amethyſtri fruſtum palmaris diametri, ſuperficies eſt caſtano obſcura colore, Corpus vero colore nitet violaceo.

37 Aliud Amethyſtri fruſtum elegantis coloris, ex quo pila ſextantis diametri poteſt tornari.

38 Achatis fruſtum brachialis craſſitudinis, palmaris altitudinis, cuius interiora cryſtallis vndique micant.

39 Altera Cryſtallorum minera, ſimul condenſatarum.

40 Minera Cryſtallorum inſolita non exagonarum, ſed placentam referunt.

41 Cryſtallorum altera minera, prout generantur.

42 Acumina quinque pulchra Cryſtallina ſimul vnita.

43 Cuſpides tres, palmum in longitudine Geometricum ſuperantes, in vnione ſe decuſſantes.

44 Fruſtum aliud politum virides herbulas continens.

45 Craſſorum Cryſtallorum congeries, & exagoniorum, ex vtraque parte cuſpidatorum.

46 Nigerrimi Cryſtalli fruſtum, vndique perpolitum.

47 Triangularis Cryſtallus palmaris longitudinis iridi repræſentandæ inſeruiens.

48 Fruſtum aliud palmaris ſupra dimidium longitudinis, lucidiſſimum. Tactum externa vi adhuc tenerum, inflexum fuit, (vt Cryſtallos tamquam caſeum concreſcere fruſtum hoc indicet) eccentrici quinque anguli pullulauere, ſexto ſuo inflexionis ſinu remanente. Fruſtum ſanè acuratiori inſpectione obſeruandum.

49 Fruſtum aliud paleas aurati coloris ſinu conſeruans.

50 Aliud viridi herbula plenum, cinctum hoc quaſi antemurali videtur.

51 Aliud deauratis pilis plenum.

52 Fruſta alia viridantis coloris.

53 Varijs vagiſq; entibus, quã plurima alia fruſta referta.

54 Pul-

54 Pulcherrima alia Cryſtallorum quadratarum congeries, talos Cryſtallinos diceres, aureæ mineræ innata, hanc dono miſit Polonus Princeps, vt experientia inexpugnabili, Septalij expugnaret ſententiam, qua vnà cum ipſo diſſerens, aſſeuerabat cryſtallos omnes, adamantes, ſmaragdos exagonas oriri; Principe contrarium ſentiente cum eiuſdem Status quadratas ferrent.

55 Oliuæ folium, fruſtum Cryſtalli in nigrum inclinantis nobilitat pulchritudinis eximiæ.

56 Adeſt fruſtulorum Turba magna diuerſis, quæ continent, entibus inſignita; data opera omittuntur, ne lector humaniſſimus impolita lectione ineruditaque delaſſetur.

57 Calcinatur Cryſtallus extrahitur ſal. elicitur liquor renum calculo comminuendo potentiſſimus puluis conficitur ad epilepſiam præſtantiſſimus quem Cæſaris nominarit; Dyſenteriæ vnicum amuletum.

SVCCINVM SIVE KARABE Vulgo Ambra. *Caput X.*

1 QVID ſit Karabe, infelix amorum vates ſecundo Metamorphoſeon luculenter, vt Poeta deſcripſit his verſibus, in phaetontiaco infortunio.

Inde fluunt lacrymæ ſtillataque ſole rigeſcunt
De ramis electra nouis quæ lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit geſtanda latinis.

Quid ego ſentiam Succineum logocentron tibi inferiùs ſignificabit: nunc naturæ curioſitates, ſed ſummis labijs ſunt delibandæ, phyloſophica proſcripta ſeueritate.

2 Pretium primo ex aranea incluſa fruſtulum Succini ſextans emendicat, quod ex danzica dono miſit Dominus *Titoliuius Buratinus*.

3 Duas

3 Duas coaxantes importunè ranas, ſuccino Neptunus inuoluit, vnde Succino non leuis gratia conciliata.

4 Locuſta magna, ſuos gemens prępeditos ſaltus, quieſcit incluſa charabe.

5 Vagantem araneam, induſtrioſam formicam, entia alioqui vilia Succineo incluſa glutini, vel hominum maximi admirantes laudant. Karabe cor refert.

6 Apis detenta Succino, non tam ſepulchro, quam Nænias canentis Poetæ *Martialis* nobilitata.

Et Latet, & Nitet factontide condita gutta.
Vt videatur apis nectare clauſa ſuo.

7 Fruſtulum Succini aliud alatæ formicæ nigrę volatum intercipiens, cui elegantiſſimum quoque *Martialis* carmen poteſt adaptari.

Dum phaetontæa formica vagatur in vmbra
Implicuit tenuem Succina gutta feram.

8 Duo animalia viliſſima, muſcæ nempe, vt laudarentur, illas ſors ſuccino implicuit.

9 Et pulex, vna cum aranea, vt ęternentur Succino tanquam balſamo inuoluuntur, ſic parua modis exaltantur magnis.

10 Succini fruſtum vna cum aquæ innata gutta.

11 Culex Succcino implicitus, incongrua execrandæ impertinentiæ pœna.

12 Chinamis ſeu Canina muſca ſuccino implicita. Puſillæ muſcæ quinque ſuccino detentæ.

13 Craſſum Succini fruſtum pugnum æquans. Precariæ duæ decades ex Succino inſignis molis quarum vna polygona eſt altera rotunda.

14 Succini albi, Delphini quatuor ſolarium ſuſtentant horologium, quod aperitur; Flandrica muliere, cacumen horologij occupante, ex albo charabe longitudinis eſt vncię cum dimidia.

15 Oua-

15 Ouatum magnum Succini, aliud ouatum continens, templi inſeruiens, Virgini Mariæ, ex candido Succino Sacrum Infantem adoranti.

16 Ouatum octagonum, in quo, tamquam in ara ſtat Saluator ex candido Succino.

17 Ouata pyxidicula tornata Succinea.

18 Globuli alteri decem precariã conſtituentes decadem, curioſa continentes entia, nec non annularis digitus.

19 Magnum Succineum cor, pretioſum locuſtæ vilis ſepulcrum.

20 Succini alia impolita fruſta, prout Sudini, Danzicanique ex Mari expiſcauere.

21 Cubitale pollubrum, vnà cum aquario vaſe quæ Succini, ſed imperfectioris diceres.

22 E Succino extrahunt chimici oleum, cui ratione magnarum virtutum, ſacri indidere nomen, Virgilium imitantes dum cecinit *Auri ſacra fames* oleum triplex eſt album, flauum, nigrum.

Si ſal vtrumque ſuccini vniatur egregium in epilepſia ſpecificum componitur, neque vulgarium eſt virium ipſius magiſterium ſecundum Philochimicos.

COCHLEARVM, CONCHARVM, & aliorum Teſtaceorum varia genera.

Caput XI.

1 PRimi generis elegantiſſimus nautilus, de quo cecinit *Oppianus*.

Eſt quidam curuo tectus ſub cortice piſcis
Polypodi ſimilis quem dicunt nomine vero
Nautilon Inſignem ponto ſua gloria fecit.

Subdam

Subdam in gratiam ſtudioſorum è *Bellonio* deſcriptionem cum non omnibus vel *Aldrouandi*, vel *Bellonij* legendi adſit commoditas. Eius concha (inquit) tribus fragmentis conſtare videtur. (Carina ſcilicet, & lateribus cum vna ſimplex ſit), quorum latera vtrinque, ceù carinæ iunctæ apparent, ea vt plurimùm magnitudine, quam vt ambæ manus amplecti poſſint, latitudine autem, quantum pollex cum indice comprehendat. Omnes autem non excedunt craſſitudinem membranæ pergamenæ, ſtrijſq; in oblungum ductis, ad oras venis lacinatæ ſunt in formam rotundam abeuntes; foramen autem per quod nautilus alitur, atque exit de concha magnum eſt. Hæc fragilis eſt lactei coloris lucida admodum, polita omninò, nauis rotundæ effigiem referens. Nauigat enim per maris ſumma, elatus de imo gurgite, effertq; ſe teſta inuerſa, vt faciliùs aſcendere poſſit, & inani ſcapha enauiget, atque vbi inde emerſerit tum concham inuertit. Cæterum nautili brachijs interiacet membranula, qualis eſt inter palmipedum digitos; ſed hæc magis, eſt tenuis in telæ araneæ modum, robuſta tamen, qua etiam aura inſpirante velificat. Cirris quos vtrinque multos habet pro gubernaculis vtitur; atque vbi metuit, tum concham protinus marino humore oppletam demergit. Cæterum pſitaci roſtrum habet, ſuiſq; cirris polypi modo graditur, atque eodem modo acetabulis ſorbet. Hæc de Nautilo *Bellonius*, qui eburnea impoſitus baſi in melitirio elegantiſſimè ſplendet.

2 Mediocres alteri duo Nautili primæ ſpeciei eburneis baſibus, ex hoc teſtaceo naues deductas ex eodem *Oppiano* ſentit *Lilius Gregorius Giraldus*.

Plauſtra maris naues, qui primus reperit ille
Siue Deus, ſeu mortali de ſemine natus
Audax oceani fluctus tranare marinos,
Nauigium ſpectans piſcis, dum robora nectit,

Fecit

Fecit opus ſimile; hinc, & ventis vela tetendit,
Funibus aperuit, retro de hinc frena carinæ.

3 Nautilus ſecundi generis naturalis caſtaneæ colore rudi cortice obtextus, interiùs margaritifera concha. In huius deſcriptione Bellonius, & Rondelitrus non conueniunt, Vlyſſes tamen Aldrouãdus non cenſet improbandam Bellonij deſcriptionem, quæ ſic habet. Secundam Nautili conchæ ſpeciem, ab Ariſtotele traditam, eſſe hanc puto, quod noſtri artifices in magno pretio ad vaſa ditioribus abacis accomoda conficienda habere ſolent. Porcellanam ob id vocant, quod de muricis conchæ forma habeat; & paucis interpoſitis aſſerit. Huius amplitudo cum ſuperiore (nautili primo genere) conuenit, ſed paulò magis eſt craſſus, prior præterea pectunculorum more ſtriatus eſt: hic omnino glaber, parte interna infinita habens intorſtitia: vndecumque nitidus, ac mira colorum varietate ſplendens: ſub inde circum agentibus ſe in purpuram candoremque maculis.

4 Maximi alteri duo Nautili ſecundi generis, margaritiferæ Conchæ cortice, ebeninis innixi baſibus.

5 Alteri duo nautili ſecundi generis interiùs ſplendidiſſimi, quorum vnus extimo inſculptos cortice chinenſibusque veſtibus homines refert, aliaſque figuras aues nempe, & oppidula: alter verò cælatis nemoribus, auibus, alijſque curioſitatibus inſignitur.

6 Nautilus alter ſecundæ ſpeciei abſque cortice, fractus data operâ, vt principium generationis vnionum rotundorum pateat.

7 Nautilus alter ſecundi generis margaritiferæ conchæ cortice obductus, qui opala videtur. Rotundus hic conſpicitur vnio, vtero exiens, vt generationis modus oſtendatur.

8 Nautilus alter, cuius medietas conſpicitur tantummodò, cortice obducta.

9 Nau-

9 Nautili alteri duo margaritiferæ conchæ cortice obducti, exornati amethyſtis, baſibus ſuſtentati ebeninis.

10 Cochleæ duæ è concha margaritifera maximę opalæ ad inuidiam coemicantes.

11 Altera eiuſdem ſpeciei baſi ebenina.

12 Altera mediocris eiuſdem ſpeciei omnibus numeris expolita.

13 Altera ſuperiori magnitudine cedens, opalæ in morem ſplendens, hęc cyathi vicem ſupplere poteſt in ebibendis Lymphis.

14 Altera ęquè in craterem data opera efformata, opalæ adinſtar lucida.

Altera pugni magnitudine cortice viridi, ſed ita ornata, vt vel vnionibus frigiata, vel vniones varijs in locis enitens videatur.

16 Altera magis exigua, viridis abſque cortice, nigris radiata filis, Galli hanc militem vocant.

17 Altera magis exigua, e qua per medietatem, dempto cortice. Lęuigatis vndique contexta vnionibus apparet.

18 Troculus pugni mole, albis, caſtaniſque diſcretus zonis, in imo verò coloris coloſſini.

19 Naturalis altera cochlea punctatim caſtano tincta colore, fundo viridi, à qua ſi corticem demas dicas ex vnionibus contextam.

20 Cochlea Tuberoſa, cuius dimidium albo, alterum viridi ſplendet colore.

21 Troculus alter, quem Galli Tiaram Pontificiam nominant.

22 Cochlea altera albiſque, nigriſque, ita per bellè inter diſtincta maculis, vt Tigridis nomen illi dederint Galli.

23 Pulchræ Cochleæ duæ, dictæ corniculi, Galli tamen has Naccare vocant, ſanguineo impensè rubentes colore.

24 Eiuſ-

24 Eiuſdem ſpeciei, alteræ duæ, ſed magis exiguæ.

25 Troculi alteri duo, & magni, quos Galli tullippos vocant pulchritudinis ſingularis vulgo Pantu Madama.

26 Alter eiuſdem magnitudinis tricolor, albus, caſtaneus clarus, caſtaneus obſcurus.

27 Quatuor muſies (ſic à Gallis appellantur) adſunt illas enim muſicis notis lineiſq; natura ſignauit nè marinæ Nymphæ figuratis defraudarentur cantilenis, Neptunuſque Iouis non inuideret delitijs.

28 Cochleę alteræ duæ, quas Galli vela latina dicunt, vndante pictura naturaliter variegatæ.

29 Alteræ duæ latrunculariam tabulam referentes, coloris albi, capillacei clari, & ſaturatioris.

30 Roſtra mucronata duo, ſic appellant Galli cochleas, quæ exerunt veluti cornu vncialis longitudinis.

31 Cochlea altera, faſcijs, lineiſque anaglypticis circumducta, colore albo, obſcuro viridi, & rauido variegatis.

32 Troculi duo, colore elegantiſſimè rauido ſignati.

33 Cochleæ duę, comiculæ dictæ ex maioribus, quæ inueniri poſſint, albo auratoque colore depictæ.

34 Alterę duæ minores, albis maculis, caſtaniſque variegatæ.

35 Altera tulippam referens, quatuor exornata coloribus, triangulis contexta.

36 Pilei duo Preteiani, ſiue Abyſſinorum regis ſic nomen indidere cerebroſi Galli; in cochleis, Flandrorum in floribus nominandis, æmulantes ingenij acumen.

37 Buccinæ duæ lęuigatę, zoniſque cinctæ, quæ turcicam tibi referunt papyrum.

38 Cochlea vna elegantiſſima, & inſolita hanc dixere Galli Teleſcopium.

39 Murices duo mucronati, & coloribus picti, in quibus perſi-

perficiendis politiſſimè, natura elaborauit.

40 Murex mucronatus gammarum referens, extenſis hinc inde multis cuſpidibus, vncialis longitudinis.

41 Alba cochlea altera, nigris frigiata maculis, holoſericum referentibus, cuius extremum vnionibus contextum videtur.

42 Candidis coloſſiniſque faſcijs alterę duæ conſpicuæ viſuntur.

43 Alter color, flauuſque alteram mirabiliter exornant.

44 Plurimæ cochleæ, quę in congi regno pecuniarum vicem ſupplent duplicis ſpeciei ſunt, candidæ, quę leuis momenti, aliæ verò magni æſtimantur.

45 Quatuor Cochleulę, ſerici videntur globuli, ſed ità induſtriosè à natura conſtructæ, vt moſaico opere in his luſiſſe videatur; indiuiſibilibus compactæ videntur, ſed tam pulchro ordine, vt ſuperiori eiuſdem coloris inferior non ſubſit, neque à lateribus.

46 Troculi quatuor, plurimi facti ab huiuſmodi rerum naturulium peritis, albus nigerq; color pulchritudinem adaugent.

47 Minimæ aliæ quamplurimæ Cochleæ, non tam colorum diuerſitate, quàm colorum varietate ſpectabiles, quas, ſi minutim referre vellem, *Ante diem clauſo componet veſper olympo.*

48 Turbines quam plurimi, non tam coloris caſtanei elegantia, quàm ipſa ſignatura inſignes.

49 Neritæ variæ, inter quas tres emicant variegatæ coloribus, ineſt his corallinus ordo, ita vt rubeum, candidum, nigrum, & viride corallium neritis exornandis accurrerint.

50 Diuerſi turbines, in quibus, ludentis ingeniosè naturę opera ſpectantur.

51 Rugoſæ Cochleæ duæ.

 53 Cylin-

52 Cylindroides duæ dictæ. Cochleæ ita inſignitèr coloribus tactę, vt encauſtico opere fulgere videantur.

53 Margaritiferæ conchæ quatuor.

54 Duæ Tricolores conchæ paruę imbricatæ.

55 Conchę plurimæ, ſtriatę, mediocres, aliæq; puſillæ partim ignei, partim corallini coloris.

56 Conchæ venereę diuerſicolores.

57 Concha Coralloides mucronata.

58 Conchæ duæ quatuor diſſimilibus zonis circùmcinctę.

59 Chamę variæ.

60 Duo rubicundi Pectines ex maioribus, quos Amphitrite nutriat.

61 Exigui pectines diuerſicolores, præcipuèque igneo coruſcantes.

62 Nigri duo mytili, quos ſi confrices, violaceum colorem pulcherrimum referunt.

63 Patellæ, ſiuè lepades aureæ, magnitudinis variæ. Galli hirci oculum dicunt.

64 Concha Veneris; nomen tibi dat pulchritudinem; Veneris enim non ſunt, niſi formoſiſſima. Quęret quis, cur tali inſigniantur nomine, an quia ex ſalo ortę vt venus, an ex eo, quod partem veneris imperio ſubditam referant, palmaris eſt, exteriùs varicolor, interiùs violaceo colore fulget.

65 Mediocris altera.

66 Altera pugni magnitudinem æquans, externa, & interna colorum vernice ſpectabilis.

67 Diuerſæ magnitudinis aliæ quatuor venereæ.

68 Puſillæ duę ab Amſtelodamo miſſę diuerſicolori vernice coemicantes.

69 Innumeræ purpureæ.

70 Variæ Conchæ Venereæ coloris albi, & rubicundi, aliaq; innumera entia maritima, quæ conſultò omittuntur, ne par-

ne parua magnam legenti afferant moleſtiam.

CONCHÆ MAIORES.

Caput XII.

1 SEptalij pinacothecam mare rubrum maximis duabus conchis exornauit, libras octo pendentibus centri marmorei.

2 Suas huc miſit Perſia curioſitates, duę enim adſunt ingentis magnitudinis perſicæ Cochleæ, flaua vernice internarum partium pingente.

3 Tertij generis nautilus follem pugilatorium in molē æquans.

4 Bipalmaris longitudinis Buccina latitudinis palmi, & ſemis, tritonum venatoria tuba, terribili reboans ſono, ſolā autem corporis mole ſpectanda non eſt, verùm etiam mirabilibus, quibus exornatur naturæ laboribus.

5 Purpurę mucronatæ, cuius interiora diuerſicolora, ſpectantium cient admirationem.

6 Purpuræ alię duæ mucronatæ, maximi ponderis ſandaracha naturali elegantiſſima lucidiſſimæ.

7 Troculus maximus, qui flatu animatus ſonum edit, pulcherrima ſandaracha conſpicuus.

8 Alter perpolitus, interiùs coloſſino, carneoque colorē refulgens.

9 Nautili duo, quorum vnus peregrinis non eſt inſignitus naturæ laboribus, alter verò colorum varietate coemicans.

10 Ex his quam plurimæ eminent in medica facultate. Conſule Aldrouandum, vel Olauum Vuormium.

PETRIFICATÆ RES VARIÆ.

Caput XIII.

1 CArnis æternatum fruſtum; lapide fecit natura ne periret omnimodè. Muſculos intueris, nec non neruos, vel molles in ſaxo apparentes.

2 Poguri duo lapidei petrificati, magnus vnus, exiguus alter.

3 Dens Elephantis molaris petrificatus.

4 Fungi quatuor magni petrificati, ſiue fungites quatuor cum duobus puſillis.

5 Bombix ſericus petrificatus.

6 Retepora eſt inſtar folioli chartæ pergamenæ, criſpæ confuſæ, aliquo modo complicatæ, infinitis foraminibus peruiæ, vt exiguum rete aliquo modo referat *Ferran. Imperat. lib. 7. cap. 4. Ola. Vuom. cap. 35. lib. 2.*

7 Oſtreæ petrificatæ, ſiue oſtreccites.

8 Buccinę petrificatæ, ſiue buccinites.

9 Aliconij petrificati, ſiue aliconites.

10 Cancruli petrificati.

11 Lapis fractus, petrificatos duos continens piſces.

12 Echinus petrificatus.

13 Oceani ricinus, in cementiam petram tranſmutatus.

14 Oceani vermes petrificati.

15 In duriſſimum lapidem tranſmutatum lignum, quod non niſi ſmiride ſerratur.

16 Saxea è ligno metamorphoſis ſulphureis tincta fumis ſubſtantiæ calcanti analoga.

17 Altera in ſaxum è ligno lariceo metamorphoſis tantæ duritiei, vt ſilicem æmuletur.

18 Admirabilis vermiculorum congeries, quorum ſubiectum,

ctum, è candidis corallijs videtur.

19 Altera, pulchritudinis eximiæ, vermiculorum congeries lapidefacta.

20 Rude liton ſcintillantibus Cryſtallis vndique gemmatum.

21 Spinæ ramus lapidefactus, cuius vna pars ramis rubeis corallinis fruticantibus admirabilis.

22 Matripora, hæc eſt veluti arundinum faſciculus, ex vno ceſpite pullulans faui ſpeciem referens. Oſſis ſpongioſi ſubſtantiam referunt ramuli, in concauitatem deſinentes, lineis, quibuſdam interſecantibus centrum, quod floſculum diceres. Magnitudinem, & Craſſitiem digiti minimi ęquant, rugis extrinſecis tranſuerſim aſperi, accidens, huic ſoli pororum ſpeciei, & ſemper conueniens. Dum expiſcantur purpureo veluti cotyledone amiciuntur, quę temporis ſpatio migrat in nigrum, vide *Fodin. Imper. lib.* 27. *cap.* 3. *Hiſt. Nat.*

23 Cochleæ, oſtreæ, conchæ inſignis magnitudinis lapidefactæ.

24 Elephanti calcinata proboſcis, ingentis craſſitiei longitudinis bipalmaris.

25 Hypocampi ſemidens, magnæ molis calcinatus, & pene petrificatus.

26 Lapis fractus, cuius interiora referunt retortum cornu.

27 Cochlites, buccinites, muſculites, muricites, turbinites, pectinites, chamapectinites marinæ aures, Patellæ, Tellinæ, & quidquid pecoris teſtacei oceanus alit non tam petrificata viſuntur, quàm ſecundum ſui naturam è *Dertonenſibus* eruta montibus, horum generationem inueſtigatam, ſed obtuſo ingenij acumine in logocentrone inferiùs leges.

MINERÆ DIVERSARVM SPECIERVM.

Caput XIV.

1 MInera ſmaragdi, fruſtum maximum ſmaragdis magnis collucens, & adamantibus; ni potiùs ſmaragdos immaturos dicere velis, auro, & argento quoque ditiſſimum. Quanta ἰατρὸς ſmaragdus poſſit fabrum te docebit ſi curioſiùs indagabis.

2 Rubinorum minera.

3 Granatorum minera in terra, argenti in morem colluceſcente.

4 Minera altera pulcherrimorum granatorum, quæ dici congines poteſt.

5 Duo granati à natura polygoni.

6 Duo alteri granati artis laboribus inſignis, cuius diameter ne vncialis ſit, per quadrantem ſtat.

7 Auri minera potoſiana.

8 Altera auri minera americanæ Indiæ ſuperiore infœcundior.

9 Auri minera ſatis diues, quod ſuis in prædijs Hieroſolymitanus eques Abdua adinuenit.

10 Quadrata auratę marcheſitæ congeries auro abundè locuples.

11 Argenti minera potoſiana, quam dono dedit eques mundum peragrans.

12 Auri minera diues.

13 Ferrea gleba colore violaceo refulgens ab Inſula Ilua, de qua Cæſarum apumque Poeta Virgilius cecinit

Iluaque inexauſtis chalybum generoſa metallis.

14 Altera ferrea gleba nigro, ſed lucido colore ſatura.

15 Stanno Gemmata tellus.

16 Mar-

16 Marcheſita fauum referens bituminibus compacta.

17 Marcheſita Globularis.

Congeries Turchoidum, lapidis Lazuli, terręque alterius caſtanæ; vaga curioſitas.

18 Fruſtra quinque Turcheſij lapidis perfectiſſimi.

19 Turcheſiæ magna fruſta argento innato ſplendentia. Detulere hæc Armeni à Samarcant. Huic gemmæ, Turcæ adeo fidunt, vt illam ferentes caſum non timeant quapropter equorum phaleras Turchoidilis ſuperbiſſimè exornant.

LAPIDES PRETIOSI, ET SINGVLARES.

Caput XV.

1 PEtra Aquilina ingentis molis elegantiſſimè expolita, leuiſſima referens vinariam cucurbitam.

2 Aliæ duæ minores.

Alię duæ Egyptiacæ granulis quibuſdam rubeis quaſi granatulis conſperſę.

3 Alia aquilinæ ſpecies lucida, extrinſecus agatã diceres.

Varij lapides iudaici.

4 Lapis Malachites pulchritudinis eximiæ ſemipugni craſſitie, Sereniſs. Mantuæ Ducis laudibus concelebratus, tertiò naturale hoc Septalij melitititium inuiſentis. Obſerua de malachite. Si pario lapidi confricetur character lapidi imprimetur referens an ex minera auri, vel argenti, vel alterius metalli malachites participet.

5 Altera malachitis congeries, candida fungoſa cecinit de hac Marbodeus.

Infantum cunas virtute ſua malachites
Protegit, & caſus abigit quoſcunque ſiniſtros.
Ne teneris membris pars poſſit iniqua nocere.

6 Altera pompeianam braſſicam referens.

7 Lapis Indicus nephriticus, ſiue Oſiada triplicis ſpeciei. Lapis vt plurimum viridis, qui nunquam exactè poliri poteſt, ſed ſemper quaſi pinguedine quadam obductus, & oleoſus, maculis, ſeu nubeculis quibuſdam obſcurioribus inter diſtinctus. Coloris gradibus variat, optimæ notæ cenſetur, qui ex viriditate nigricat quaſi, & opacus eſt. Commendatur ad varios corporis humani affectus, & amuleti loco geſtatur; eius vires compertæ ſunt in ventriculi, Eſophagi, & colli doloribus ſedandis. In capitis doloribus vehemẽtibus, catharris, & diſtillationibus, ad partum promouẽdum, tumores ædematoſos curandos, vrinam ſuppreſſam prouocandam, ſed in primis in renum, & veſicæ calculis, atque arenulis expellendis. Ex *Olao Vuor. cap. 15. lib. 1. Boetium de Boodt lib. 2. cap. 110.* admiranda huius lapidis leges.

8 Achates orientales Sardonychi.

9 Precarij Globuli achatis eoi; in quibus ſepulcro ne condantur? an in ęternis incunabulis viuant caduca, & variaentia? hęres.

10 Sardonicus Achates hypophthalmum exprimens.

11 Achatis Sardonici Globuli duo precarij vilium feſtucarum pretioſi carceres.

12 Alij quatuor ſardonici.

13 Varij alij Achates.

14 Limonis figura Achatis fruſtum, quod ſuſpendi poteſt. Fruſtum hoc, ſinum beryllis fœcundum aperuit.

15 Alter achates per medium ſectus, in cuius meditullio cernitur aqua veluti petrificata. In hoc natura ſe Arithmeticæ ſcientificam profeſſa eſt ſequentes enim impreſſit numeros 4191. 191.

16 Iaſpidis magnum fruſtum omni arte, forma ouali angularique excultum.

17 Achatis alterum fruſtum latitudinis trium vnciarum

erutum

erutum in Sacro Virginum Cœnobio ſupra Variſium Beatæ Virgini Mariæ montis conſacrato, parit hìc natura gemmas; ne cœlo tellus inuideat,dum enim cœnobium politiſſimarum gemmarum, quibus inoculetur cœlum pretioſiſſima fodina eſt; natura vt terram lapidibus pretioſis exornet achates fœcundo ſinu enititur.

18 Lapidis fruſtum à Monte Sinai fruticans ramis, orietalem Iaſpidem duritie ſuperans, ſimile illi Sereniſſimi Magni Hetruriæ Ducis.

19 Duo alia fruſta ramis fruticantia.

Duo Achatis fruſta, coloris lapidis cyanei, diaphana; horum vterus lapis cyaneus fuit.

20 Iaſpides Boemici variæ ſpeciei; Precariæ duæ decades ex achate,

21 Achatis ſardonici precaria Corona.

Marmoris rubicundi Italico Idiomate *Pidocchioſa* dicti pila, in qua ouatum delineauit natura, tabulæ inſeruiens, in qua mulierem cum brachio natura pinxit.

Simulauerat artem
Ingenio natura ſuo.

22 Altera eiuſdem marmoris pila, ſiue marmoris antropomorphitis, in qua mortuum caput delineatum conſpicitur, alterumque caput tam bellè, vnà cum organis dicatis ſenſibus pictis, vt Zeuxis opus crederes. Volant inibi quoque papiliones ab igne tuti, aliæque curioſitates, vt exclamem *Ludit in humanis diuina potentia rebus*.

23 Oſteocolla lapis ſpongioſus, & arenoſę ſubſtantiæ, hac Iatrici vtuntur reparandis oſſium fracturis *Ola. Vuor. lib. 1. cap. 6. Aldrou. lib. 2. Muſæi metal. cap. 16.*

MAGNES

MAGNES MIRÆ VIRTVTIS LAPIS
Caput XVI.

1 DVodecim fere vnciarum magnetis fruſtum tanta pollens attractoria vi, vt vel ſexaginta librarum ferrum ad coeundum alliciat.

2 Fruſtum aliud, cui pene triumphalem arcum duæ erigunt columnæ, attrahit libras quadraginta duas.

3 Fruſtum aliud non inferiorum virium, quod adhibetur tam ad attrahendum, quàm ad fugandum cubitale ferrum ad id præparatum. Mira quidem virtus, & magnetis propria.

4 Magnetica pila, luſoriæ æmula ſex ferri libras ad coitionem adigens.

5 Perexigua pila, ſed energiæ numeris omnibus abſolutæ ferrum attrahit ſexies decies ſe ipſa grauiùs.

6 Duo inſolita fruſta magnetis, auro, marcheſita, ſulphure, & terra ſcatentia, attrahunt ferri lib. 12.

7 Aliud fruſtum magneticum marmoreum octo libras attrahens ferri.

FVNGIFER LAPIS.
Caput XVII.

LApis fungifer, de quo *Io: Baptiſta Porta, vt ſcaligerum, Cardanum, & Mathiolum ſileam in ſua villa lib.* 10. *cap.* 70. Poſtremum inquit genus fungorum è ſaxis naſcitur; præciditur ad eſum, alius ſubnaſcitur; ſemperque nouos producit vſtibili fœcunditate; ſeptem diebus perficitur; ſexies anno demetitur, terra dodrante operitur. Neapoli afferuntur ex Veſuuio monte lapides. Sumuntur ex altiſſimo ſui montis tractu, Abellini ex parthenio monte, in Apulia ex Gargano,

& altio-

& altioribus montium partibus; nam ſaxa vbi ſemel produxiſſe vident, ſuffodiunt, & venales exportant. Naſcuntur aliquando non pileati, ſed turriti vt aſparagi, & in ramos diuiſi. *Fortun. Licet. de ſponta. viuen. ortu lib.* 3. *cap.* 11. refert Iacobum Antonium Martham Neapolitanum, ſibi retuliſſe montem virginum prædictum inter omnes in agro Neapolitano iuga extollentes Eminentiſſimum quorūdam lapidum in ſummo culmine admirabilis naturæ feracem eſſe, qui ſi ſub vinarij dolij ſtilicidijs ſupponantur imbibitis vini guttis poſtridiè mane noctu exortos fungos colligendos proferant guſtui ſuauiſſimos, & vitæ innoxios.

DE LAPIDE FVLMINARI.
Caput XVIII.

1 LApides fulminares, ſiue tela fulminea, vel fulmineos cuneos, ſiue tela Iouis, quibus mortalia icerentur, exhalationes potiùs, varijs ſpirituum generibus impręgnatas, & compactas, quàm ſolida fuiſſę corpora, non leuibus rationibus ad credendum adducebar. Conſumptus enim in vagina gladius, extracti, incognito fure, è crumena numi, exſiccata momento abſque potatoribus dolia, nullo vulneris veſtigio cadentes homines, ictus vel in vtero fœtus illæſa matre ſuadebant ſpirituoſæ, ſubtiliſſimęque ſubſtantiæ imperſcrutabilia eſſe admiranda ſecreta, ſeu arcana miracula, potiùs quàm craſſioris quanti naturales effectus: verùm lapis, qui in muſęo continetur è nubium baliſtis exploſus, Patremque Religionis Franciſcanæ S. Mariæ Pacis ſubitò exanimans titubantem firmauit intellectum, vt crederet, & duriores lapides vibrari è fatalibus nubium catapultis.

2 Adſtitit D. Manfredus Septalius, dum deplorandæ calamitati cæteri occurrentes religioſi, cadauer commiſerantes

curio-

curioſiùs inſpiciebant, vt mandata fatorum penitiùs exami-narent. Detectum in nigricante coxa vulnus intuentium cu-rioſitatem exciuit, vt ſectione adhibita, quo tenderet vulnus, ſequerentur, quod in oſſe terminans orbicularem pene oſten-dit lapidem, deteſtandum improuisè necis authorem. In cen-tro erat craſſitiei quadrantis vnciæ, in acutam circumferen-tiam deſinens, area numum argenteum, quem philippum di-cimus, æquabat, violabat ſphęricam rotunditatem obtuſus, qui modicè exerebatur angulus. Colore varius, ita vt pars vna coloris eſſet laterum, qui in fornacibus fuſionem ſuſti-nuiſſe videntur, pars altera, cruſta leui, & pellucida tecta ap-pareret, ex aduerſa eſſet aſper, & ferrugineus prout deſcribi-tur *muſ. metal. Vly. Aldr. lib.* 4. *cap.* 11. qui fractus per me-dium teterrimum ſulphur exhalauit.

3 Lapidibus pluiſſe olim, veterum monumenta tempo-rum teſtantur hiſtoriæ. Refert, vt alios ſileam, *Geſnerus* anno nonageſimo ſecundo ſupra milleſimum quadringenteſimum, ingentis molis lapidem è cęlo cecidiſſe pondere trecentarum librarum, qui Enſishemij vt prodigioſum quid reſeruatur in templo.

4 Labant philoſophorum mentes ſub horum lapidum ponderibus, inſtantaneam videntur enim generationem ar-guere, ſi ſucceſſiuè enim fierent, quonam in vtero ſuſtentaren-tur, ni dicere velimus, lunam terram alteram, ſiue mundum eſſe, ex cuius montibus diuiſa fruſta in inferiorem noſtrum hunc orbem delabantur.

5 Verè nè ſit fulmen, *Sennertus* negat *lib.* 4. *cap.* 1. *epith. Phy:* inquiens, fulmen itaque eſt ſpiritus igneus, & tenuis ni-tro ſulphureus, non lapis, (vt vulgo creditur), nam mira vis, & potentia fulminis, non lapidi, ſed corpori longè tenuiori, & ſubtiliori adſcribenda eſt. Qui verò interdum in nubibus ex exhalationibus condenſatis, & coagulatis lapidem quem-

dam

dam ſolidiſſimum poſſe gigni, & cum fulmine vt globum è bombarda eijci, ſtatuere velit, cum eo non pugnarim? raro tamen id fieri credendum eſt.

6 Bartholomæus Ambroſinus ſub *Vly. Aldro. cap.* 5. *cit.* nec ipſe adhæret opinioni aſſerenti, fulmen eſſe lapidem; cuius verba hæc ſunt. Verùm quoniam tam conſtans fama eſt, fulmen eſſe lapidem, vt ſi quis hanc vulgi opinionem explodere velit, inſipiens prorſus eſſe videatur; vnde patet, vulgi chimęram eſſe, non verò philoſophantium ſenſum, lapidem eſſe formaliter fulmen.

7 Ipſe *Ariſt. lib.* 3. *meteo: cap. p.* aſſeruit fulmen eſt ignis, non lapis igne delatus, vt vulgus putat; quapropter fulmen philoſophi deſcribentes dixere, eſſe exhalationem calidam, ac ſiccam fulgure magis compactam, cōfeſtim è nubibus magna vi, magnoq; impetu erumpentem, quæ deſcriptio, cum non competat fulmineis cuneis, alibi eius eſt inueſtiganda, & eſſentia, & generatio.

8 In nubibus latere lapidum matrices non mirum, etenim ſi animalia enituntur, multò magis imperfectiora concipient. *Auicennas* qui, vel elementa imaginationis ſuppoſuit viribus, aſſerere non erubuit, vitulum è nubibus decidiſſe, cui ſi credidiſſet poſteritas, ò quantos vitulus iſte genuiſſet boues. Ignobiliora tamen animalcula ſuam debere originem nubibus teſtantur coaxantes ranæ cum pluuijs decidentes, quarū meminit *Euſtachius* tantam copiam in Dardania, & Pæonia pluiſſe, vt neceſſum fuerit incolas aufugere, inurbaniſque, & petulantibus hoſpitibus, ędes, & lares iure petulantiæ cedere. Idem docent doctiſſimorum virorum obſeruationes quamplurimę, extat de Mure Noruegico ſiue Lemner docta, & eruditiſſima diſſertatio apud *Olaum Vuormium*, qui è nubibus cadens fulminis in morem ſubiecta camporum ſata irreparabili frugum pernicie depopulatur. Si ergo viuentium ſemina

rerum,

rerum, & ſenſitiuè animatarum illuc deferri poſſint, multò magis per athmoſphæram tollentur, quę curioſæ lapidum generationi poſſint inſeruire.

9 Sub *Vlyſſe Aldrouando Ambroſinus capite ſupra citato* aſſerit. Quo circa ratio, qua in nubibus huiuſmodi lapis gigni poſſit, ſi tamen ibi generatur, hoc in loco, ad mentem philoſophorum aſſignãda eſt. Exhalatio igitur quędam ſulphurea, & fulminea, cum metallica quadam materia admixta, in nube plerumq; viridi, aut nigricante, ab humore circumfuſo cõglobatur, & coagulatur; veluti farina aqueo humore affuſo in maſſam conglutinatur, poſtea ſuperueniente calore, partim ex ſole, & ſtellis, partim ex anti periſtaſi genito, talis maſſa ſubacta quaſi concoquitur, & in materiam lapideam induratur; ſicuti lateres ex molli luto formati calore fornacis dureſcunt.

10 Vltimo adducta paritas totum mihi videtur deſtruere ſuppoſitum, non niſi enim longo temporis ſpatio, maxima vrgente ignis vi, luto conflati lateres durantur in lapidem, cumq; ſuperiori in regione aerea frigus regnare potiùs quàm calorem vnanimes aſſerãt philoſophi, difficile erit adinuenire, vbi nam cauma lapidum obdurans vigeat, quod tantò maius eſſe deberet, quantò breuiori tempore lapides perficiuntur.

11 Verùm ſua ſint vnicuique placita, propiùs tentet vnuſquiſque in phyſicis veritatem aſſequi, licet in particularibus philoſophari difficillimum ſit.

12 Indefeſſis, ſublimationis adinſtar chymicæ, laboribus trilinguis ſolis flamma in microcoſmo deſudat, euocans, extrahens, educens, radiorumque magnetiſmo alliciens innumeras diſſimilium rerum atomos, quæ inane Democriti nempe aera peruadentes, inibi multifariam permiſcentur, nouarumque generationum exordia inchoant. Acutiſſimus T.

Canes philoſophica muſa concordes corpuſculorum generationibus deſtinatas pugnas expreſſit canens,

Contemplator enim cum ſolis lumina, cumque
Inſertim fundunt radios per opaca domorum
Multa minuta, modis multis per inane videbis
Corpora miſceri radiorum lumine in ipſo
Et velut æterno certamine prælia pugnaſque
Edere turmatim certantia nec dare pauſam
Concilijs, & diſſidijs exercita crebris:
Conijcere vt poſſis ex hoc primordia rerum,
Quale ſit in magno iactari ſemper inani.

13 Coadiuuat ſublimationem hanc terræ centralis calor qui irrequietè agens rarefaciendo, cuiuſcumque generis corpuſcula extollit, diuerſis prædita qualitatibus, iuxta id quod terræ inexiſtere *Hippocr. lib. de nat. hum. tex.* 31. aſſeruit. Nempe ineſt enim acidum, amarum, dulce, & ſalſum, & omnigenum.

14 Sales verò prout è vegetabilibus, vel mineralibus euolant ſuam ſpeciem, diuerſaſque figuras ſeruant, prout infra leges de cryſtallo; terręque vnicuique proprium ſalem inexiſtere è *Sennerto de Arthrit. quæſt. 6.* eruitur; Adiungendus his eſt Lucretij ſenſus aſſerētis, ſemina rerum vbique diſpoſita eſſe, vt mea tandem de lapide fulminari ſententia pullulet.

15 Eleuatis ſurſum multis exhalationum difformium, & vniformium corpuſculis, ſe ſeque inuicem immiſcentibus, innato rerum magnetiſmo, *omne ſimile allicit ſuum ſimile*. Hìc cum lapideæ reperiantur proprio non deſtitutæ ſemine, neque defraudatæ ſale, ſe ſe ad inuicem allicientes compaginantur in lapidem, figuræ iuxta ſalis prædominium, à quo præcipuè diuerſarum figurarum ratio iuxta neotericos, & ſenſatos philoſophos. Sic ego philoſophor de fulmineo cuneo.

16 *Olaus*

16 *Olaus Vuormius* cenſuit exhalatione fulminea, cum materia metallica permixta, & ab humore circumfuſo conglutinato in denſa nube, accedente calore ſolis, ſtellarum, & igniti fulminis lapides generari; figuram verò acquirere pro varia materiæ diſpoſitione, humiditate cum ſiccante fugiente ad inferiora, ſiccioribus in ſummitate conglobatis, & condenſatis. Fatetur tamen hanc opinionem ſuas pati dificultates.

17 Lapidum horum varietatem habes apud *kentmanum Tit.* 4. *cap. Coraun.* nec non in *muſ. Vuorm. cap.* 12. *lib.* 1. *& apud Aldrou. cap. ſup. cit.*

18 Admirandas *Marbodæus* lapidum horum virtutes ſequentibus carminibus cantat.

Qui caſtè gerit tunc à fulmine non ferietur
Nec domus, aut villæ, quibus affuerit lapis ille,
Sed neque nauigio per flumina, vel mare vectus
Turbine mergetur, nec fulmine percutietur.
Ad cauſas etiam, vincendaque prælia prodeſt
Et dulces ſomnos, & dulcia ſomnia præſtat.

19 Herniarum amuletum in lactentibus pueris apud Germanos exiſtit Geſnero annotante, & chymicum ſi extrahatur oleum, quo bombardæ inungantur, vbi explodu ntur certò certiùs deſilire. Fides tamen ſit penes auctorem.

20 Vt à falſis veros diſcernant, filo vndique inueſtiunt, prunis imponunt, aſſeruntque ſuper prunis ſudare lapidem, filum vero non vti. Si amiantho circumducatur, vtique ego conſentiam.

CAMEI

CAMEI, SIVE ONYCHES LAPIDES
Caput XIX.

1 CAmeus ſic ab *Aldrouando* deſcribitur *lib.* 4. *Muſ. Mettall. cap.* 74. *tit. de onyche*. Quando autem cruſta ſuperior vnius coloris cælata eſt, remanente cruſta alterius coloris inſculpta tamquam baſi, vocatur camehuia, & cameus fortaſſis, quoniam colore camelinum exhibeat; niſi velimus aſſerere, aliquid ſimile chamæ ab hoc lapide cælato repręſentari. Aliqui deducunt hoc nomen à vocabulo Græco χαῦμα quod ſignificat incendium, tradunt enim in locis calidis, & ſulphureis hos lapides inueniri. Poſſent hic Gaffareli ſenſus accomodari, qui in ſuo tractatu Gallico, quem vocauit *Curioſitez inouies cap.* 5. omnes inquit vulgo dicuntur *Gamahun*, vel *Chamaiu*, quæ vox deducta videtur ab Hebræo *Chamaya*, quod notat *ſicut opera Dei*. Additur Dei, quia Hebræis conſuetum erat, vbi quid eximium vellent denotare, Dei dicere, vt exercitus Domini, montes Dei. Quod autem hic de figuris à natura quodammodo ſculptis philoſophus ſenſit, non inerudita translatione de artificialibus enuntiari cenſerem, cameoſque dici. *Vid. Muſ. Vuorm. cap.* 13. *lib.* 1.

2 Annibalis Fontanæ Celeberrimi Sculptoris ſui Sæculi Steſicratis egregium opus, quod in onyche ſcalptum, in æternitatis marmoribus nomen incidit authoris, Æthiops mulier, vel animata in lapide, vel animans lapidem, è fuſco ore lucidiſſimos artis ingenioſiſſimæ ſplendores emittit; pendet ex aure vnio, quo pulchriorem margaritiferæ Conchæ, nunquam ſinu fouere, tamquam tiara bombycino amictu circumcingitur caput, vt opus regium iudices, dum coronatum intueris.

3 Onyx alter, flaui coloris, bombycina tela eleganter aptata, feſtiuæ mulieris inſolitam cerebroſitatem adauget.

4 Caput alterum aureo encauſtici operis gyaro circumcinctum, cincinatiſq; crinibus diceres Berenicis comam hic incluſam, vultus, cui color rubeus ſupereminet albo, campus autem cinereum colorem, & ſaturatum refert.

5 Inciſor excellens onychem alterum exquiſitiſſimis laboribus; operis anaglyptici medium nobilitauit.

6 Antiquis armata caſſidibus capita duo in ouato cameo emicant, diceres geminatum martem.

7 Caput thoraci ſuperſtans, altero viuit in cameo, loqueretur vtique; ni ſui hæreret captum admiratione. Tres iſti camei magnitudinis ſunt inſignis.

8 Ludouicus Morus Mediolanenſis Dux huiuſmodi gemma inſculptus illam, vel illuſtrat, vel obtenebrat.

9 Verſutam Ægyptiam referunt colores quatuor, onychi ingeniti, huiuſmodi tamen terrarum orbis exules vix ſatis benè quatuor coloribus exprimuntur, cum tot facies induant.

10 Cameus alter opere magis, quàm gemma ſpectabilis, matronam enim tibi offert, quæ licet ſaxea, rapit animum.

11 Cameolus, ſiue Corneolus, ſiue ſardius lapis vnus, cui primum Incarnationis myſterium aptiſſimo ſubiecto eſt inſculptum, gemma rubri ſolet eſſe coloris.

12 Camei alteri duo, quatuor variegati coloribus; ex quibus effigies duæ elegantiſſimè reſultant. Vnus matronam dat brachioque manuque elegantiſſima, hæc eſt verè camelluia, ardorem enim ſpirat, alter generoſiſſimum equitem repræſentat.

13 Ouatus Sardonicus Achates Æthiopem viuentem, in lapide, tuis oculis offert.

14 Cameus, in quo modis tenuata paucis magna illa rerum Domina fortuna Delphini capiti inſidens iacet, duobus concomitata Tritonibus.

15 Naturalis phyloſophi Senecæ, poſteris venerabile caput,

caput, operis anaglyptici. Cui altera, (ex opere pariter anaglyptico) duo capita in corneolo ſculpta adſtant, vittatis capitis integumentis ornata, miſerãdam Senecę phlebotomizati tragoediam exprimentia, eximiæ pulchritudinis opus.

16 Tabula ſeptem contexta fruſtis, quorum vnum exteriorem mundi partem ex atomis in inanis immenſitate coaleſcentem, inuolucrumque omnium, nempe cœlum extimum repræſentat, quē in prima ſui origine tenerum appellat elegantiſſimus *Virgilius*; *Et ipſe tener mundi concreuerit orbis*. Alterum inundationem, è qua mundus emerſit impurior; tertium gigantum; *Vide Petri de Valle epiſt.* 17 *à Baghdad. n.*8. turris Nembrot hiſtoriam continet; quartum, protoplaſtem diuinum exhibet hominis creantem; quintum ætate aurea ſignatur; argentea ſextum; ferrea ſeptimum, quæ in noſtros protracta dies vel nunquam finiet.

17 Mutuat è Cameo ſplendores Æthiops, cuius delineamenta ſcalpentem manum celeberrimam prædicant, candido, vittatoque capitis tegumento, vt in contrariorum oppoſitione, coloribus magis, magiſque refulgentibus, promeritis laudibus artifex non defraudetur.

18 Alter Cameus, & magnitudine, & inciſura admirandus, illum tres occupant facies, quarum vna ſtatæ pulchritudinis mulierem, alteræ ſenum duorum canas facies referunt, dicerem, Suſannam ardentibus duabus niuibus ſtimulatam.

19 Domini Noſtri Ieſu Chriſti Natiuitas varijs, vnà cum figuris non ordinarię magnitudinis.

20 Cameus alter inciſum referens Diuum Franciſcum ſacris ictum Stigmatibus, Achate fido concomitatum.

21 Ora Ciceronis, vel in lapide perorantia Achate Sardonico excauata.

22 Matricidę Neronis inexorabilis vultus achate durior quo exculptus eſt.

23 Formoſiſſimę Cleopatræ pulcherrima facies, carneolo inciſa; dicere auderem, tanta faciei venuſtate nunquam adiuiſſe Antonij amplexus, nec politiori, ſalatiorique ore amantis oſcula delibaſſe.

24 Caius Marius achate inciſus, tanta ſeueri ſupercilij maieſtate, vt non vnum percurſſorem Gallum, ſed innumeros eſſet perterrefacturus.

25 Camei quinque, in quibus capræ, Delphini, monſtraq; marina, vera artis miracula, ſculpta fuere. Coronidem præſtant Camei triginta vincti magno in ſcrinio ſeruati.

At collo ſuſpenſus onyx, digitoue ligatus
Inſomnes lemures, & triſtia cuncta figurat.

ANNVLI CVM GEMMIS Singularibus. *Caput XX.*

1 MAgna Turchoide inoculatus annulus, cuius pretium Pij IV. Medicei Mediolanenſis Pontif. Max. operis anaglyptici effigies adauget, gentilitio ſtemmate eiuſdem Pontificis angulum inferiorem occupante. Erat hic Pontifici in delitijs: ſacram ornabat manum, vt ex hoc, operis elegantiam poſſis coniectare. D. Cecilia Medicea Gonzaga Pontificis ex fratre neptis dono dedit Ludouico Septalio Philippi Quarti Hiſpaniarum Regis Archiatro, ad quem tam inuiſendum, quàm conſulendum cum ex omnibus orbis terræ partibus plurimi Mediolanum confluerent, dici de eo poſſet, quod *Sanctus Hieronymus* Paulino ſcripſit de Tito Liuio: nempè. *Quos ad contemplationem ſui Roma non traxit, vnius hominis fama perduxit*, qui & ætati ſuæ, & poſteris, & magnæ huic Ciuitati fuit decori, Patri viuentis Manfredi, de quo dictum benè *Eſt & in equis Patrum virtus*.

2 Aureo hyacinthus ſplendens Epicyclo vultus Ariſtotelis

per

per egregiè referens antiquum opus. Viuit cæruleo in lapide, qui obijt cæruleis in aquis, ni dicere vellemus, maris guttam lapidefactam, quæ vultus Ariſtotelicos imbibiſſet.

3 Nicolus, ſiue Sardonix Tricolor, aurea, emicans, ſphærula. Lapidem illuſtrat inciſa Epheſina Diana.

4 Annulus Antiquus alter, orientalem vinciens hyacinthum coloris ſingulariſſimi, rubinum perfectiſſimum referentem. Mulier huic inciſa litem excitat, illane lapidi lucidam communicet pulchritudinem, an lapis mulieri pulchritudinis ſplendoris impertiatur.

5 Annulus Antiquus alter carneoli carcer eximius, quàm benè in carneolo muliebre caput inciſum coemicat.

6 Onyculus alter annulo incluſus, quatuor inciſis à manu peritiſſima figuris inſignis.

7 Equus Pegaſeus volaturus, ni in Nicolo detineretur affixus, qui per annulum comprehenditur.

8 Cornucopiæ duæ Onyculo inciſæ, quibus aironi duo ſuperſtant. Vas elegantis operaturæ his interponitur, cui auis Galli referens inſiſtit. Annulo Onyculus iſte eſt ornamenti.

9 Nicolus alter antiquo annulo incluſus, duabus cornucopijs exornatus, quarum vni aquilam inſiſtere dicerem, gruem verò alteri. Diuidit has pulcherrimus flos aſcendens.

10 Nicolo inciſus Scorpio Annulo ligatur.

11 Antiquus annulus caput imperatorium cõtinens.

12 Annulus includens Nicolum, referens naturale opus. Qui coiuere, viſuntur canes, venereo glutine impliciti, irritò nitentes in ſeparationem.

13 Annulus Ægyptiaco hieroglyphjco conſpicuus, operis anaglyptici; ſed humilioris. Caueam vides ſuſpenſam ſubſtante pullo, & à latere Aegyptiacum Idolum.

14 Smaragdus antiquæ figuræ inciſura nobilitatus, dicerem ego Deam Spem.

15 Argenteo Malachites incluſus annulo tam eximij coloris, vt gemmarios quam plurimos fefellerit, Turchoidem iudicantes.

16 Felis orientalis oculus annulo incluſus par adamanti. Indi hos ſummè expetunt, & qui in Luſitania, 90. aureis æſtimatus fuit, 600. in Indijs vænijt: *Boodt. lib. 2. cap.* 79.

17 Oculus felis alter cærulei coloris quem ſi moueris, eoſdem, quos in viuente, intueris effectus.

18 Eminentiſſimi Cardinalis Mauritij à Sabaudia effigies annulo incluſa aureo, non enim ſolummodò caput, ſed totum corpus promerebatur diadema, perexigua obtecta cryſtallo.

NICOLI, ET ALIÆ GEMMÆ extra annulos. *Caput XXI.*

1 Ammonicus Hercules triceps.

2 Mars Gradiuus amplo ſatis Nicolo inciſus.

3 Nicolus ſatis amplus, cui ineſt aries herbam comedens.

4 Peruagi coloris nicolus alter, elegantiſſimæ figuræ ſubiectum, dextra fructum, læua ſceptrum comprehendentis.

5 Nicolo alterę duæ figuræ clauduntur, quarum vna ſedet, altera ſtat manum extollens, nonnullorum fructuum continentem.

6 Stans in Nicolo figura, ſuper humero clauam geſtans, vaſeq; proiecto.

7 Duo Nicoli tricolores vnà cum ſuis figuris, ſplendet Capillitius, Cæruleus, Niger.

8 Ouis Nicolo inciſa.

9 Altero Nicolo inciſus canis.

10 Figura Nicolo inciſa: manuque fructum legente.

11 Pegaſus cum Leone dimicaturus Nicolo inciſus.

12 Scamno figura inſidens, caput præ manibus habens Nicolo inciſa.

13 In-

13 Inciſum Nicolo caput.

14 Alteri Nicolo incognitum animal inciſum.

15 Deſinens in piſcem mulier formoſa ſuperba Nicolo inciſa Symbolum Ægyptiacum.

16 Nicoli duo parui, volat in vno auis, in altero ludit amor.

17 Anaglyptici operis Mediani effigies in Nicolo cærulea, in albedinem inclinantibus crinibus, diceres, puluere aſperſos cyprio campo nigro ſubſtante.

18 Armatus Heros achati Sardonico inciſus.

19 Conſul Romanus in Carneolo, opus elegantiſſimum.

20 Orientali amethiſto Venus amorq; inciſus. Factum benè, peſſimo lapidi peiora inciſa numina.

21 Sedens in hyacintho figura.

22 Altera in hyacintho ſtans.

23 Altera effigies in achate orientali.

24 Arietinum caput achati inciſum, conſtellationibus dignoſcendis inſeruiens.

25 Ouatus Achates multis fœcundus figuris, ægyptiacos referentibus characteres, rotas nempe, tela, & litteras copticas, & græcas.

26 In Cameolo Orientali Scarabeus magnus volat ſubiacente tauro, quem geſtabat ſuperſtitioſa antiquitas, ne ſuperſtitionibus lęderetur.

27 Atlas nullibi difficiliori labore ſuſtentans Cœlos, quàm in achate orientali.

28 Saphyrus orientalis trium vnciæ, quadrantum altitudinis inſolitæ. Peritiſſimus artifex æternauit in hoc Bonam Sfortiam Poloniæ Reginam filiam Io: Galeatij Sfortiæ Ducis Mediolani, & Iſabellæ Aragoniæ infeliciſſimorum Principum, vt ex inciſis characteribus palam fit. *Bona Regina Poloniæ.*

29 Variæ orientales opalæ.

30 Varia elitropia.

31 Varij Topazij.
32 Aquæ Marinę.
33 Nonnulli Granati.
34 Gallica Turcois.

VASA FICTILIA DIVERSA TERREA. Alabaſtrina, Vitrea, Singularia.

Caput XXII.

1 MAgni Turcarum Imperatoris vaſa duo terræ nempè lemniæ, quæ dono dedit *Pater Iuſtinianus Societ. Ieſu* arctiſſimis neceſſitudinis vinculis Innocentio X. Pontifici Maximo iunctus, ſigillo turciciſque characteribus munita ſuo clauduntur operculo, quod ſi tollas, vides intus bolo veluti armeno luſibus varijs vagiſſimè frigiata. Hic aliquis aderit, qui forſan *Vlyſſis Aldrouandi* fretus auctoritate credulum me nimiùm aſſeret ipſo aſſerente, vnà cum *Matthiolo Braſauolo*, *Fallopio* noſtra ætate ex lemno nihil ampliùs deferri; loca enim illa prorſus deſerta, & deſtituta eſſe: verùm ego *Olai Vuormij* philoſophi ſagaciſſimi, & induſtriam, & ſtudium, & auctoritatem in hoc plurimi facio, cuius relatos fideliter ſenſus curioſi legere non dedignentur. (Tres ait, ibidem, foueæ reperiuntur, quarum duæ ruina obrutæ, tertia, vbi iam terram eruunt, ſeptentrionem ſpectat. Iuxta montis radices tres limpidiſſimi exiliunt fontes, quorum duo minores ſeptentrionem versùs fluunt, maior meridiem. Terra, quam ibidem fodiunt, maxima ex parte alba eſt, ſecunda quandoque rubra, & lutea inſtar boli armeni, quo iàm vtimur, adeò, vt aut in alio colle tempore Galeni hanc terram effoderint, qui iam ruinis obrutus eſt, aut hanc ipſam priſtinam naturam mutaſſe neceſſum ſit. Semel tantum in anno eruitur hæc terra ſexto die Auguſti, non ſine ſuperſtitione, quia putant nullam habere

efficа-

efficaciam, niſi eo die fodiatur. Operarij Græci ſunt, diligenter eos animaduertentibus Turcis, qui magiſtratum in Inſula gerunt, ne quid clanculum auferant, dum fodiunt, ſuauem odorem ſpirat Cauerna. Nec omnis terra inde effoſſa pro bona habetur; illam ſaltem eligunt, quæ intra quaſdam petras fragiles latet; pinguiorem, tenacem ſabulo deſtitutam oriente ſole per ſex horas ſaltem continuãdo fodiunt, mox foueam claudunt, nec ampliùs in anno aperire fas eſt. Hinc fit, quod rara admodum ſit hæc terra, cum pauci fodiant, & tam breui tempore. Bonam, quam æſtimant, vnicus lauat, lotam ſacculis includit, quos ſuſpendunt, vt omnis aqua percoletur; hinc in maſſulas maiores, aut minores formant, quas Imperatoris ſigno ſigillant, & exſiccatas Conſtantinopolim ad Imperatorem mittunt vnà cum ſigillo.) *Hæc Olaus Vuormius in Muſæi lib. 1. cap. 4.*

Admirandarum virium contra peſtiferos morbos ſerpentum ictus, ſanguiniſq; per ora venarum profuſiones.

2 Eiuſdem terræ orbiculi multi coloris albi, rubri, & lutei, quos maior equorum pręfectus Ferdinandi Tertij Imperatoris Inuictiſſimi dono dedit.

3 Vaſa alia duo, quorum vnum ſuperbit, cum mechanicum Principem Germanũ habuerit, qui ſua gentilitia vaſi indidit, & nomen; tantæ duritiei, vt chalybe percuſſum ſcintillet.

4 Crater, & vaſculum terrę melitenſis.

5 Vaſa duo Italicè *Buccaro*.

6 Alabaſtrinum vas coloris capillitij, operis tornati non ſpernendi, altitudinis ſemibrachij.

7 Alabaſtrini Crateres duo.

8 Teſtudineus crater magnus orbiculatus.

Lacrymatorium, nempe vas vnciarum 40. capax cęrulei coloris ignem paſſum, fornoque expoſitum, in quo lacrymæ colligebantur antiquitus, poſtquam cadauera combuſſiſſent

ſent, dum Arcis Mediolanenſis in orbe celeberrimę funda-menta iacerentur, adinuentum fuit, vnà cum vrnis duabus, in quibus viuunt nomina aſſeruatorum cinerum.

9 Lacrymatoria alia vaſcula, ſex præſertim reperta in prędijs proprijs Caſtri Septaliani; vrnis vicina adinuenta. Vrnarum lacrymalium meminit *Olaus Vuormius lib.4. cap.1.*

10 Lacrymæ humanæ pyxidicula ſeruatæ opalæ in morem ſplendentes, quas dono dedit *eques Caſſianus à Puteo Romanus*, qui omnium eruditionum orbem abſoluerat.

11 Fruſta viginti quinque vitraria ſatis magna pretioſæ lacrymatoriorum reliquiæ, inter quæ tria conſpiciuntur non vulgariter ab antiquis Romanis rerum Dominis inciſa. Alia opalas in coloribus imitãtur; alia Iunoniæ auis ornatũ referunt.

12 Fruſtum vnum, quod ſi ex vno latere intueris, aurei coloris ſpecies traſmittit; ſi inuertas, verſicolores pauonis plumas rapræſentat, ſi Cœlum versùs, cæruleo colore tuum viſualem radium inficit.

13 Fruſtum aliud colore flauo, viridi, rubroque intinctũ.

14 Vitri fruſtum nigrum, hoc ſpeculi vicem antiquitus gerebat.

15 Fruſtum aliud cæruleo album Argi oculos referens.

16 Aliud rubro cinericium varijs ſignaturis expolitum.

17 Aliud coloris incarnati, cuius ſimilis productio noſtræ ætati latet, ſic aliud pariter ſanguinei coloris rubores noſtris artificibus ciens, cum tam pulchra artis arcana conſeruare, condiſcere neglexerit.

18 Columnulæ duæ albonigro, opere encauſtico elaboratæ, & recuruæ.

19 Columna ſecta, in cuius centro ſidera rubicunda caſualiter adinuenta, perfectiſſimique anguli.

20 Fruſtum aliud encauſtico opere flauo albo exornatum pulchritudinis eximię.

21 Fru-

21 Fruſtum aliud, in quo elegātiſſima roſa perpetuò viret.

22 Aliud vitri fruſtum operis encauſtici viridis, albi, cærulei, flaui noſtra ætate rariſſimum viſu.

23 Aliud æmulans achatem Sardonicum pulcherrimum.

VRNÆ, ET LVCERNÆ.

Caput XXIII.

1 VRnæ quatuor adinuentæ, dum Sacra Capucinarum Cænobij fundamenta iacerentur in Porta Mediolanenſi, cui nomen Tonſæ indidere.

2 Vrna altera bicubitalis varijs pictis figuris exornata, quarum pars ſedet, pars ſtat. Nobilitant opus præcipuè famæ duę alatæ indicantes viuentibus vel famę, curam illis eſſę habendam, funeribus enim ſuperuiuere.

3 Lucernæ antiquę octo.

Lampades antiquæ ſempiternæ octo. Vide quæ de hiſce peculiari opere commentatus eſt Clariſſimus *Fortunius Licetus* Philoſophus eximius; nec non ſub *Vliſſe Aldrouando Ambroſinus in Muſ. Metall. lib. 2. cap.* 3

4 Scheleta tria, vnà cum diuerſis capitibus ſubſtant tertij cubiculi ornatorijs aſſerculis, quorum vnum eſt Iouis miniſtrę fulminum alitis, vel Manfredum Septalium Iouem credentis, vel à Ioue Septalium honoraturo illuc tranſmiſſæ.

5 Scheleton aliud vulpeculæ cum gallinis inuiolabili fœdere dormientis. Quanta ſit Septaliæ familiæ virtus, ex hoc metire, vulpes licet inueteratæ vitiorum naturalium obliuiſcuntur, virtuoſam habitantes domum.

6 Tertium Scheleton, leporis erat, qui cum canibus fœdus inierat. Domum Manfredi terreſtrem eſſe Paradiſum fateamur eſt neceſſe.

7 Quam plurima alia Scheleta in duabus Bibliothecis viſun-

viſuntur, quæ inſignibus libris ditiſſimæ; nobiliſſimæ familiæ ſcientificos ſplendores magis magiſque illuſtrant: de quibus Bibliothecis infra dicetur.

DE PORCELLANA, ET CHARANNO Chinicis. *Caput XXIV*.

1 TEmporis licet anguſtiæ, quibus premor, dum hæc ſcribo, vt ſuadenti amico obtemperem, non patiantur animum curioſis parecbaſibus applicare, nihilominus ne legentis vndique inexpleta curioſitas de Calamo meo, ſiccitatem, è terris, de quibus agit, communicatam illi fuiſſe, nimiũ conqueratur curioſa aliqua de porcellanarũ plaſtice interponam. Variant in principijs authores, ita vt *Pancirollus titulo de porcellanis Odardum Barboſſam* ſequutus aſſeruerit ſuperioribus ſeculis nunquam viſæ fuerunt porcellanæ. Sunt autem maſſa quædam ex gypſo, ouo trito putamine locuſtæ marinæ, & alijs ſpeciebus compoſita, quæ ſi probè ſtipata, & denſata fuerit, ſub terra in locum aliquem ſecretiorem reconditur, quem Pater liberis ſuis (alios enim hunc ſcire nõ vult) deſignat, atque ibi octuaginta annos manet recondita, quo tempore elapſo, Filij, vel Nepotes eam eruunt, eaque rurſum ſub acta, & ad elaborandum idonea reddita pretioſa illa vaſa conficiunt adſpectu pulcherrima. *Hæc Pancirolus*. Subtilis *Cardanus*, ſatyricuſque *Scaliger* premunt in hac ſententia pollicem. *Ioannes* tamen *Conſaluus Mendoza*, cui, vel ideo maior habenda fides ex eo, quod Potentiſſimi Regis Hiſpaniarum iuſſu florentiſſimum Chinæ Regnum peragrans porcellanæ natalia fuerit intuitus, quam inibi fabricari, eſt extrà omnem dubij aleam. Is igitur *lib.* 1. *cap. vlt. Hiſt. Chinen.* Porcellanas ex terra dura cretoſa fieri aſſerit, quam contuſam, & molitam in ſtagnum aquæ conijciant, muro ſaxi viui probè

ſatis

ſatis concluſum, eamque materiam imbibere patiuntur humorem iſtum, vſque dum liquefacta, veluti ſubtilis, & leuis quædam tela in ſuperficie extendatur, atque ex hac poſtea tenerrimas porcellanas effingi: ex eo autem, quod fundo inhęret minoris notæ vaſa confici, quippe quæ tantò degenerent magis, quantò craſſior in imo, & deterior fere ſubſederit. *Ioannes Vgo Linſcotanus nauigationem orientalem deſcribens cap.* 25. Conſalui ſenſus confirmat, inquiens, Porcellanæ ex certa terræ ſpecie, quæ duriſſima eſt, conficiuntur, ea in partes molitur, & mola tunditur, ciſterniſque iniecta maceratur, donec duritie deuicta, ſępeque verſata (quemadmodum apud nos agricolæ lac in butyrum exercent) in ſummitate materiam excernat ex qua ſubtiliſſimum opus fit.

2 *Pater Aluarus Semeda Hiſtoriæ Chinæ cap.* 2. de Porcellanis vaſis ità aſſerit referente *Olao Vuormio in ſuo Muſæo*. Porcellanica vaſa conficiuntur in Prouincia kiamſi in vnica Vrbe, vnde omnia veniunt, quibus vtuntur in iſta Prouincia, & per totum Mundum, licet terram non habeat, ex qua conficiant, ſed aliunde apportetur, aquam verò habent, ſine qua fieri nullo modo poſſunt; quæcumque enim, cum alia fiunt aqua, non adeò ſunt nobilia, & ſplendentia. Nullum hic eſt myſterium, quale ſibi fingunt multi, ſed eſt certa terræ ſpecies adeò nitida, & pura. Quouis tempore, & eodem modo, quo noſtra figulina conficiuntur, ſed diligentiùs, & accuratiùs tractantur, pinguntur que colore cęruleo ex amylo, vulgò apud ipſos anil, quo abundant.

3 *Ramutius tom.* 1. *Nauig.* materiam porcellanorum vaſorum terram foſſilem ad ſolem, & ventum ſpatio multorum annorum duratam; deinde pictam eſſe ſcripſit; ſi quidem in Mazdaga Ciuitate Caroz, Regni Fez ſunt multi figuli, qui ex argilla vaſa porcellanica fingunt, & venalia exponunt &c. Patet ex his traditam illam veterum de porcellanis opinio-

nem

nem futilibus innixam fundamentis, Regnique Chinæ peculiarem eſſe dotem, in quo ſeueris vetitum legibus, ne huiuſmodi extrahantur vaſa. Lex attamen vaſorum ad inſtar eſt, quæ infringuntur, nonaginta enim mille taes annui redditus, pro extractione (taes puta libras Imperiales) Regium diteſcit ærarium, ſacrumque aurum rebus ſacrificijs idoneis anteponitur.

4 Fertur per ora hominum, porcellana vaſa venena non ferre, ſed diſrumpi, hacque de cauſa Turcarum magnates vaſe porcellanico in argenteo conſtituto diſcumbere. Fauet huic opinioni *Pancirolus*, *quam Simon Simonius Bohemicus archiater* litteris conteſtatus eſt, cuius verba apponam, Bibunt ex ea Turcæ aquam, ſcerbet, ſuaque iuſcula: quia venena mutatione ſubitanea pelluciditatis detegere, ijſdemque potenter credatur reſiſtere.

5 *Iulius Cæſar Scaliger* Porcellanæ enumerans dotes, ait, tandem niſi ſubeſt ſuperſtitio, atque impoſtura mercatorum, vaſa hæc veneno infici non poſſe, ſed diſrumpi. Si meos petis ſenſus, qualitas hæc plus vendenti conferet, quàm ementi. Quæri hìc poſſet an Ingrina vaſa antiquis celeberrima, pluribus inſignita legibus eadem eſſent, ac porcellanica, verùm breue tempus vetat, in iſtis animum delitiari.

6 Adeas *Ioannem Salmuth in Pancirolum lib. 7. partis primæ de varijs lectionibus*, nec non *Vlyſſem Aldrouandum*, *Bernardinum Cæſium lib. 2. cap. 2. ſect. 16.* deſideria tua adimplebunt. Ego verò redeo ad rem.

7 Aquimanilium magnum cęruleum Iaponēſibus illuſtre laboribus, & characteribus, quos *Pater Bohinus Chinarum Legatus* adiens Muſæum legit. *Eminentiſſimi Cardinalis Cæſaris Montij Archiepiſc. Mediol.* donum hoc eſt.

8 Sciendum autem eſt, vaſa hæc omnia pręſertim primi gradus opificum nomina continere, Chinenſibus inciſa ſyllabis, ad quorum æmulationem, illis quod confecit Septalius

ſuum

ſuum nomen inſculpſit, Vas eſt diaphanum omni elegantia expolitum.

9 Altera duo vaſa Africanis illuſtria natalibus, mauris ornata characteribus.

10 Pollubrum in circulum extenſum cubitalis diametri; perfecere hoc chinenſes ignes, quod dein ſandaracha, quam charannum vocant incruſtauit, auro diues opus, peregrinarumque auium pictura illuſtre.

11 Iapponēſibus figuris ornatus alter è perfectiſſimo charanno crater.

12 Alter eiuſdem operis crater, quem dono dedit **D.** ***Abbas Caſſianus à Puteo.***

Orbicularis alter auro fulgens.

13 Magnæ duæ pixides è charanno auro fulgentes, nec non margaritiferę conchę fruſtulis, ingenioſa arte commiſſis, conſpicuæ.

14 Cameratam perfectiſſimi Charanni capſulam ſolidis auri laminis compactam intueberis, frondibus Vialberæ aureis, in quibus auratæ ludunt aues, operis tamquam veſtos, griphus in auro truculentus adſtat.

CVRIOSA QVÆDAM ARTEFACTA in Europa, & India. *Caput XXV.*

1 CHinenſe atramentarium exteriùs picta regione, characteribusque chinenſibus exornatum ex Prouincia Nancquin. Atramentum continet, vnà cum paucis aquæ guttulis, in cauo ad id affabre facto, quibus atramentum madefit, vt intincto pennicillo, quali Pictores vtuntur, ſuos imprimant characteres. Non enim ſtylo ferreo chinenſes, vt reliqui Indi, nec calamo ſcriptorio vt Europæi vtuntur. Atramenti materiam terram bituminoſam, nigrum vnum cum gummi

credi-

crediderc alij; alij fumum è præparato oleo collectum.

2 Altera orbiculata duo chinenſis atramenti, inſignita characteribus chinenſibus.

Altera duo, ſed magis exigua.

3 Atramentarium Agratenſi in vrbe magni Mogor metropoli confectum characteribus mogorenſibus exornatum, nec non habitibus; figuriſque mogorenſibus.

4 Turcicum aliud atramentarium bipalmare.

Pixis magna, cuius tegmen concha margaritifera intertextum, non vulgarem opificis peritiam notat, variaque pragmata vaga.

5 Viminei crateres duo, ramulis adeò ſubtilibus intertexti, vt ſericos credas. Mittit hos Zeilan Inſula.

6 Vimineus alter crater Chinenſis ſubtiliſſimus, ſubtiliſſimiſque artis operibus exornatus.

7 Vas tegminatum candidiſſimum è neruo vel ſpinali medulla Balenę confectum.

8 Alterum coloris caſtanei.

9 Magnus crater ouatus palmum excedens geometricum è ceti neruo.

FRVCTVS EXOTICI.
Caput XXVI.

1 COccus Maldiuenſis ingentis magnitudinis teſtudinatæ lagenæ figura. Eructat hos nonnumquam mare, ita vt non deſint, qui aſſerant, inſulas olim inibi extitiſſe plantarum nutrientes, quæ huiuſmodi fructus ferrent, quibus ſubmerſis, plantas adhuc durare ſub aquis, fructus admirandos, & pretioſos enitentes aſſerente *Patre Hyacintho de Magiſtris Ieſuita*, qui per ſeptem ſupra viginti annos illis in locis degerat, ducentum, & tercentum realibus venire inſigne alexipharmacum.

macum. *Vide Monar. cap. 26.*: ſed cum de coccis ſermo ſit prodigioſam coccorum hiſtoriolam alteram accipe lector, ex *Hierembergio Hiſt. nat. lib.* 16. *cap.* 1. Terreſtres quoſdam, inquit, globos (quos coccos vocant) terra parit in occidentali India, ego dixerim illa oua ſolis. Creantur ſub terra: ad ſtatum tempus matureſcunt, tunc edito ingenti ſtrepitu diſrumpitur terra, & globus ſubſiliens, ſpargit in ipſa fractione varias gemmas; quibus refertus delitebat, amethyſtos, topazios, & alios lapides cryſtallinos. Notus iam Indis gemitus ille parturientis humi. Statim quærunt, quà ſonus venerat, grandinem pretioſam. Aliquando tamen accidit nullum pretioſum nucleum contineri.

2 Caciombe fructus peruanus ouum gallinaceum figura ęmulans quem villoſo amictum cortice ſi ſpoliaueris, & expoliueris, terſiſſimo hic ſplendore refulget. Affertur ex noua Inſula, quam Hollãdi Tiphi detexere, ex qua pariter lignum zibetum exhalans noſtras in regiones tranſmittitur.

3 Nuces Indicæ tres villoſo cortice inuolutæ ingẽtis magnitudinis. Lubet hìc, quę de nuce Indica *Lĩſchotanus* refert ſubdere, licet .n. nomine nucis, Europæis conueniãt nucibus; vſus tamẽ differẽtes, quibus adhibẽtur diſſimilẽ ſubſtantiã arguũt. Eſt igitur, inquit *Vgo*, arbor iſta proceritatis eximiæ in altum excurrens palmi minoris fere craſſitie. Folia non niſi in acumine generat, quæ ſe vt in dactylo dilatant; ſub folijs veluti, ſub clypeo fructus latent iuncti inter ſe decem ſubinde numero; rariſſimè enim vnica nux ſeparatim prodit. Singulæ autem oui ſtutionis magnitudinem fere habent; radix ipſa tenui ſpatio porrecta contra fidem fere terrę inhæret ob inuſitatam trunci proceritatem, vt aſcendens oculos animumque aſpicientium nimia altitudine perturbet, verùm Canarini qui Agricolæ, ſiue hortulani Indorum ſunt, arboris corticem veluti in ſcalarum vſum ſcindunt, ac præparant ſummaque faci-

litate aſcenſu ſuperant, etiam cum deſperatione Luſitanorum, quibus id facinus terribile habetur. Tanta verò palmarum, ſiue nucum harum eſt Copia, vt Hiſpaniæ, ac Luſitaniæ oliuas, & Batauię ſalices numero ſuperent, coluntque duas ob res præcipuè fructuum, & vini gratia. Fructus penè maturus aqua plenus eſt: potabili illa dulci ac limpida, & admodum refrigerante, atque ea quidem cum copia, vt vel vnica ex nuce dimidius impleatur Cantharus, quæ & ſi abundanter pota fuerit, nequaquam tamen eſt noxia, quòd & amæna, & naturæ ſit commoda; ea tamen ſi nux arbori diù hæreat in albumen, ſiue nucleum coaleſcit, iſque interior fructus ſapore nucis auellanę ſimilis eſt, vnde & *Guillandino* Auellana Mexicana dicitur, dulcior tamen aliquantulum. Prior Cortex interioris fructus tegumentum (quod poſteà in lignum dureſcit nuce ad ſummam maturitatem perducta) tum mollis, ac tenuis, ſuaui guſtu cum ſale carduos altiles ſapore propemodum repræſentat; eodemque cortice ſi tecti fuerint, cocci per Vniuerſum orbem corruptionis ſecuri vehi poterunt. Fit tamen ſub inde diuturnitate temporis, vt aqua illa in ponium ſubflauum conuertatur, ſapidum valdè, ac ſuaue, ex nucleo etiam Indi obſonium conficiunt, orizamque cum ſucco nuclei coquunt. Seruit quoque ad oleum, quod ciſtellis expreſſum bonitate eximia in cibum flammam, ac medicinam expetitur. Eadem etiam aqua illa ad Solem mediæ horæ ſpatio expoſita in acetum vertitur, quo India vniuerſa vtitur, hinc in vinum igne eliquatùm diſtillatur, quod vini eluenenſis eliquati notas habet optimas, mox ex altera diſtillatione vinum conficitur totius Indiæ vnicum, calidum ſanè, & efficax, quod tamen Indi aquæ inſtar potant. Sed & arboris iſtius lignum vtilitatem præbet maximam. Videātur autem hæc apud *Ioannem Linſchotanum cap. 56. & Ioannem Briterinum de re cibar. lib. 2. cap. 5.* Aſſerit de hac *Olaus Vuormius* vix arborem eſſe

exiſti-

exiſtimo, quæ maiorem in vita communi habeat vſum hac ipſa. Nux ipſa magnitudine ęquat caput infantis triquetra aliquantùm eſt, & figuræ oualis exteriùs craſſo, & villoſo tegitur munimine, ſub quo cortex ligneus durus niger qui exactè poliri poteſt. Vide plurima apud *eundem lib.2.cap.30.*

4 Fructus duo, ſeu coni cedri de libano figuram habentes oblongam quaſi abietinam, ſquammis tenuibus contextam lenibus, & non duris. Coni hi ſemper in Cœlos ſpectant ramuſcolorum extremitati ſic adhærentes vt decerpi nequeant, niſi particula rami vnà euellatur, calida illi facultas, ventriculo inimica, tuſſi, ſpaſo, apoplexiæ, neruorumque opitulatur affectibus, pipere conſociatus menſes mouet pici cędriæ affinis.

5 Cocculi Maldiuenses varij, quorum medulla febres acutas ſubmouet, figuram ouatam habent, duro villoſoque cortice, medulla intus alba.

6 Braſilienſes Caſtaneæ cuiuſcumque ſpeciei.

7 Braſilienſes Phaſeoli, vnà cum membranaceo lobo, quo innaſcuntur.

8 Fructus Indicæ arundinis in precariam coronam contexti ex Manilia, in Inſulis Philippinis, attulit, & dono dedit *Pater Cotta è Societate Ieſu.*

9 Altera precaria corona ex fructibus innominatæ arboris, quas alit S. Chriſtofori Inſula coloris oliuacei.

10 Peruanæ radiculæ in coronam contextæ.

Cocculi perexigui peruani precarias conſtituentes coronas.

Cocculi alteri ab Amſtelodamo dono miſſi delati ex noua Inſula quam Olandici Palinuri nuperrimè detexere.

Fructus duo alij incogniti.

11 Cucurbitæ dimidium plannm varia inciſura exornatum. Crater hic eſt Potoſianus, quo lymphæ hauriuntur herba infuſa Chinenſium in morem.

12 Virginienſis macocquer. Fructus peponis æmulus. *Vide Laet Deſcript. Ind. Occid. lib. 3. cap. 23.*

13 Precarij Globuli variarum ſpecierum.

14 Fructus Balſami Peruuiani.

15 Fructus Betulę, ſiue Betuæ.

16 Amygdalę Peruuianę.

17 Nuculę Indicæ variæ.

18 Phaſeoli Perpulchri, qui nuculæ videntur.

19 Braſilenſium phaſeolorum craſſorum coloris ſanguinei, nigro puncto ſignatorum copia magna.

20 Alteri magis exigui coralliorum figura Braſilienſes.

21 Nuces myriſticæ longę, & rotundæ.

22 Hirræ fructus rotundi, nigri, duriſſimi.

23 Auellanæ inſanæ.

24 Caſtaneæ ex orinocho Canadæ fluminis, vnà cum multis alijs fructibus eiuſdem regionis.

25 Orbiculares fructus, multi qui tornati videntur.

26 Phaſeoli coloribus varijs ſplendentes, Americani, & Africani.

27 Cicera ſatis pulchra quatuor ſpecierum ex Guinea.

28 Phaſeolorum Peregrinorum varia genera coloribus, & magnitudine diſcrepantia.

29 Fabæ indicæ maiores, & minores, quæ naſcuntur in Inſula S. Thomæ dicuntur cor Diui Thomæ ab Indis.

30 Piſum Indicum, ſiue Abrus.

31 Braſſica Aegyptiaca.

32 Lacryma Iob.

33 Mengleriæ milium. De mengleria, vel nulli ſcripſere. *Pater Andreas Borromeus Theatinus*, qui per plurimos annos ibi degit, doctiſſimam, curioſiſſimamque habet *exoticæ regionis deſcriptionem* quã ſi publici iuris faciet, dum auidò hominum ſciendi deſiderio ſatisfaciet, ipſe ęternitati ſacrabitur.

34 Orientalis iuniperi ſemen.

35 Ca-

35 Cacao fructus per Americam celebris, multique vſus in Nicargua noui orbis Prouincia, quam Mahumetis vocarunt Paradiſum, proueniens. Minor eſt Amygdalo, compactior, nõ ingrati ſaporis, tãti ęſtimatus, vt comerciorũ magnã conſtituat partem in noua Hiſpania. Tenui tegitur membrana nigricante, nucleum continente qui in binas, aut ternas partes obliquè diuiditur, ſubfuſcum, & cinericeis venis diſtinctum, adſtringentis ſaporis. Vide *Olaum Vuormium cap. 24. lib. 2.* qui multas tibi de hoc patefaciet curioſitates. *Ioan. Laet. deſcript. Ind. occid. lib. 6. cap. 11. Nierember. Hiſt. Natu. lib. 15. cap. 22. Zac. Luſitan. prax. Med. admirab. obſer. lib. 2. obſer. 7.* ſenſit, chocolate roſeum faciei colorem conciliari, obſtructiones aperiri, multaq; commoda humanis corporibus afferri ſup. cit. loco apud eundem legantur; & Zachias adeatur de morb. Hypocondr.

BEZOARTICI LAPIDES.

Caput XXVII.

1 BEzoari non tam locorum varietas, quàm effectuum, quos producit, præſtãtia illi diuerſa nomina indidere. Pretioſus iſte humanæ naturę theſaurus delituit per plures ætates, Arabibus illum luci nunquam perituræ conſecrantibus. Optimorum deindè latinorum nõ pauci hos ſunt ſequuti, qui laudibus tantum lapidem non defraudauerunt, quidquid in contrarium oblatrent nonnulli logiatri, qui fortunę alis, magis quàm verę ſcientię fauoribus acti, qui, vt ſuã adaugeant gloriam Bezoari detrahere conantur.

2 Iſtum dixere Perſici Pazan, Pazan notante hircum, cui energeticus vterus ineſt, rarum adeò partum conſeruans. Indi appellauere Bezar à voce Bazar, qua voce Indi mercatũ, ſiue emporium ſignificant, quaſi lapis hic antonomaſticè emporeticus, & mercatorius dicatur: Etymon hoc Aldrouando arridet: *Arabes* dixere *Hazar*: *Chaldæi Belzuar*, quod Domi-

num veneni ſignificat. *Bel* enim Chaldæis pro Domino ſtat, *Zaar* pro veneno, quapropter cum tamquam Hercules domet venifica monſtra, è viſceribus effectuum benè ſumpta fuit denominatio. Labentibus dein ſęculis vox aliquam corruptionem paſſa eſt, nec mirum ſi ex Chaldæo in latium tranſiens, vt latinis viueret moribus, fonieton metabolin tolerauit.

3 Non defuere, qui diſſentientes conati fuerint rationum momentis ſtabilire ſententiam, *Bezoar* cerui lacrymam eſſe, quę in magno oculorum angulo in rotundum lapidem paulatim concreſcit. Reſiſtere hæc venenis non inficimus, ita ſcriptoribus ſuadẽtibus, ſed, quod ſit Bezoar, nõ cõcordamus cuius generationẽ ex *epiſt. Petri de Oſm. ad Garc. ab horto*, hic relata, lector, intueri ne graueris: frequens .n. lapidis huius incidit mẽtio, id circo prĩcipia noſcere forſan conferet. Iam ſunt (*ait Petrus de Oſma*) plures quam viginti octo anni quod militiam ſequens per has Indias peregrinor, in quibus non ſolùm quæ à te deſcripta ſunt, naſcuntur, ſed etiam pleraque alia, quorum fama nondum ad nos peruenit, ob medicorũ huc à vobis commeantium magna ex parte negligentiam, inſcitiam, quibus publica vtilitas, quam tamen ſummã præſtare poſſent, curæ non eſt; ſed vt quæſtui dumtaxàt ſeruiant. Formam animalis ex quo lapis Bezoar extrahitur in tuo libro deſcribis, ea diligentiùs perpenſa animaliũ genus quoddam in iſtis montibus frequens inuenitur valde ſimile ijs hircis (niſi quod cornibus orbum eſt) quos in orientali India reperiri tradis. Ruſſi ſunt coloris, magna ex parte, & herbas ſalutiferas depaſcuntur, quarum magna eſt copia, in montibus, vbi iſta animalia degunt, ita fugacia, vt ſolo tormentorum æneorum ictu adſequi poſſimus. Decima quarta Iunij huius anni 1569, ego cum aliquot amicis ad venationem profecti ſumus in huius regionis montes, in ea quinque dies inſumpſimus: & aliquot ex his, quæ dixi animalibus confecimus, cumque eorum cauſa venationem ſuſcepiſſemus, librum tuum contuleramus,

aperto itaque maximo, & prouectioris ętatis animali, neque in ventriculo, neque in alia parte corporis lapides inuenimus, quo factum eſt, vt indicis animalibus ſimilia non putaremus. Percunctati Indi, quos, vt nobis deſeruirēt, deduxeramus, qua corporis parte lapides hæc animalia haberent, ſe quidem de lapidibus ſcire negabant: (vt ſunt nobis infeſtiſſimi, nec ſua ſecreta nobis innoteſcere vellent) Indus tamen puer decem, aut duodecim annos natus cum videret, nos tantopere id ſcire cupere, in animali receptaculum quoddam, & veluti marſupium nobis oſtendit, in quod depaſtas herbas recipiunt, donec eas poſtea ruminatas in ventriculum traijciant. Ibi puerum illico interficere voluerunt Indi, quòd nobis indicaſſet: eum tamen poſtea nobis in venatione occupatis interceperunt, & vt intelleximus ſacrificarunt. Illud autem admiratione non caret, hoc animal per totas has Indias non reperiri, pręterquàm in montibus iſtis Regni Peruani. Nam ego omnia Mexicana regna, omnes Peruanas Prouincias, & regna, Prouincias, & Inſulas Maramnon, floridam, & multas præterea occidentalium Indiarum regiones peragraui: attamen nuſquam hęc animalia conſpexi, quàm in ſolis huius Regni Peru montibus. Sola etiam, quæ in montibus paſcūtur animalia, lapides iſtos præſtantes generare obſeruatum eſt, nam quæ in planis pabulum ſumunt, vt herbas minùs ſalubres depaſcuntur, ſic etiam lapides eorum, tametſi vtiles ijs viribus non pollent, quibus præditi ſunt, qui ab animalibus in montanis degentibus eruuntur. Ex animalis igitur, quod ſecuimus, burſula nouem lapides exemimus, qui naturę beneficio illìc creari videntur ex ſalutiferarum illarum herbarum ſucco, quæ in burſulam illam congeruntur, ſecuimus, & alia huius generis animalia, quæ confeceramus, in quibus omnibus lapides inuenimus plures, aut pauciores pro animalis ętate.

4 *Ioannes Euſebius Hierembergius* iconem animalis vi-

cunnæ propoſuit *lib.9.nat.hiſt.cap.60.Franciſci Hernandi de Bezoare* ſententiam referens, cuius manuſcripta ſeruantur in regia Bibliotheca *Sancti Laurentij in Eſcuriali*, cui adhæret *Olaus Vuormius*.

5 Sed inter omnes accuratiſſimè ſcripſit *Ioannes de Laet in deſcriptione Indiæ Occident. lib. 10. cap. 4.* peruuana quædam Zoa deſcribens, *quatuor Bezoaris affert ſpecies* quatuor in diuerſę ſpeciei animalibus genitas.

6 Dicitur *Taruga* primum vicunis maior, & velocior, colore magis ambuſto, auribus pendulis, & læuibus, quæ rarò gregatim, plerumque ſingulæ inter præruptas petras vagantur *Ganilaſſus* dicit ceruorum ſpeciem eſſe ſed minorem Europæis.

7 Secundum *Vicunna* eſt capris, non admodum diſſimilis niſi quod cornibus careant, & maiora ſint colore leonino vel magis rutilo; degunt in altiſſimis montibus, & ſaltibus, amantque regiones frigidiores, potiſſimùm autem ſolitudines, quas Peruani vocant communi nomine Punas, neque niuibus, aut gelu offenduntur, ſed potiùs recreantur, incedunt gregatim, curruntque velociſſimè, atque ad hominum, aut aliarum ferarum conſpectum, ea eſt animalis timiditas, vt ſtatim in auia atque abdita ſe ſe proripiant.

8 Tertium animal *Pacos* dicitur. Ouibus paulo Beſtiæ hæ maiores ſunt, minores tamen iuuencis collo oblongo inſtar camelorum, altis cruribus, & corpore bene compacto, varij coloris, quædam enim ſunt candidæ quædam nigræ, quædam fuſcæ quædam denique verſicolores quæ moromori appellantur; vide quæ de his ſcribat *Ioannes Laet* ex quibus iſta excerpta ſunt, & curioſa de hoc animali videbis, quod Peruanis inſeruit ad argentum ex Potoſianis mineris in Africam transferendum.

9 Quartum animal *Guanaco*, *ſiue Huanaue* appellatur, mares

mares in ſummis collibus veluti excubias agunt tantiſper dum femellæ in vallibus paſcuntur, & quum homines è longinquo aduertunt hinnitum edunt penè ad equorum modum vt femellas moneant; qui ſi propiùs accedāt, femellas fugiendo ante ſe agunt, lana horum animalium curta eſt, & aſperior.

10 Ex omnibus hiſce animalibus inquit Laet, lapides eximunt quos Bezaar vulgo vocant, ex Pacis quidem, & Guanacis minores, & nigriores, nec tam probati in medicina vſus è Vicunis autem paulò maiores, & meliores, fuſcos aut ſubcineritios, aut denique croceos, e Tarugis, denique omnium optimos, & maximos coloris ſubfuſci, & tunicis craſſioribus.

11 Adeſt in Septalij melititirio phyſico, *lapis Taruga* vnus, *Vicunna* tres, vnà cum lana animalium tactus delicatiſſimi, *Paccos* verò & *Guiacca* multi. Refert *Petrus de Oſma* Indis quibuſdam tanto in honore lapidem hunc eſſe, vt Idolorum ſuorum delubris, quæ *Guacas* vocant, appendant, tamquam pretioſiſſimam gemmam, vnde forſan *Guaicæ* nomen lapidi comparatum.

12 Adſunt *orientales Bezoares*, pulcherrimi è malabari, & Coccino delati, verùm in Indijs orientalibus tàm bellè lapides hos mentiuntur, vt nonnunquam vel acutiſſimos naturales lynces fallāt. Annis elapſis Sereniſſimus Hetruriꝫ magnus dux optimum, & pulcherrimum vnum, alios nonnullos fictitios; dono Septalio dedit.

13 Panaceam vniuerſalem, quam Bezoar eſſe logiatri aliqui imaginati ſunt, ne credas dum enim nimium illi tribuere conati ſunt, plurimum illius gloriam labefactarunt, ſi à falſo verum diſcernere cupis, nulla potior ratio experientia. Propinato venenum, dein Bezoar; ſic non decipieris. Olim filo veneno infecto canis crus traijciebatur, vires exerente viru, propinabatur alexipharmacum, ſi euadebat canis, tollebatur omnis mangonij ſuſpitio, verùm nunc deteſtāda mercatorum

prauitas, proprio vtili, non publico bono intenta, experimenta iſta proſcripſit. *Vide Vlyſſem Aldrouan. lib.*4. *Muſæi Metal. cap.* 59.

14 Iſtricis lapis in India plurimi factus. Hos Malauenſe Regnum dat in Pam, quos Luſitani vernacula lingua vocant Pietra di Porro, ſcribente *Ioanne Hugone Lintheotaneo in nauig. Indi. orient. cap.*87. in felle porri lapidem iſtum inueniri.

15 Humani Bezoares (quos ego lapides ſpiritu lapidifico Bezoaris in morem coagmentatos dicerem) præſertimque vnus, è Germano equitum Pręfecto extractus, qui vel quemlibet examinandi Bezoaris peritiſſimum falleret.

16 Πολἰπραγμονησν non contemnendam, quam curioſiſſimus in euiſceranda natura Septalius, in magnis venis Vaccarum anno 1633. (in eius oppido *Septala* nuncupato) mortuarum adinuenit; aurati coloris lapides Bezoarticos, æmulantes pollicis craſſitudine, quos primo aſpectu aureos cenſeres. Bezoares ſint, nec ne attentiùs iudica, inſolitum certè eſt naturæ ludentis opus.

17 *Iuuencæ tuffus* ſingularis colore rufus è ventriculo extractus pilas luſorias duas magnitudine ęquans.

18 Indicæ pilæ luſoriarum pilarum ſaltus ſuperantes.

VNICORNIVM, ET RHINOCEROTVM Cornua. *Caput XXVIII.*

1 VNicornu pulcherrimum, & ſingulare verſuris & ſtrijs naturaliter exornatum. Zelandi mercatoris erat, & penes ipſum magno in pretio, & non ſine magno pretio venditum, & additum huic Septaliano Nobiliſſimo Muſeo.

Deſiderium titillabit eruditorum legentium curioſitatem, ſciendi quibusnam inſigniatur natalibus hoc Vnicornu, tot laudibus exaltatum: quapropter ſubdam nonnulla ex *Olao*

Vuor-

Vuormio extracta, qui primus omnium rem hanc curioſiſſimè examinauit, diligentiùs inſpexit, elegantiſſimè expreſſit, naturaliterque delineandum curauit *ſuo in Muſeo pag.* 282. vnde accuratiſſimè cetaceæ belluæ anathomen cuiuſuis intueri fas eſt, non omnia ego referam, tempore iubēte breuitati ſtudere;

2 Vnicornu inquit, marinum etiam e genere cetorum eſt, & quia pauci admodum ſunt, qui hoc monuerunt, de eo quædam vberiùs hic dicenda. In freto Dauis hæc animalia haud rara eſſe retulerunt nautæ, qui eum ſæpe ibidem viderunt, & circa Gronlandiam capitur. Figura reliquis cetis ſimilis, pinnas duas ad latera habens, tubera tria in dorſo, vnum in ventre, branchias nullas, dentem vnicum in ſiniſtra ſuperioris mandibulæ parte, ad ſeptem cubitos prominentem, teretem, ſtriatum, acutum, nullos præterea minores.

3 In vertice foramina duo per quæ aquam pro lubitu euomit, dens eius hactenus pro vero vnicornu à magnatibus, & alijs habitus eſt, quòcirca quid de eo obſeruauerim hiſce in veritatis patrocinium lubens inſeram. Anno 1636., cum fortè fortuna apud Magnificum, & illuſtrem virum D. Chriſtianum Friſium de Kragemp Cancellarium Regium, mentio incidiſſet vnicornuum, quæ ſecum ex mari Gronlandico, circa fretum Dauis, attuliſſent mercatores noſtri, non potui non ijs exprobare inſignem, & ſupinam negligentiam, quòd cum noſſent tantopere inter doctos etiam diſputari, qualenam animal illud eſſet, quod cornu illud ferat, quod vulgo ab omnibus etiā magnatibus ꝓ vero vnicornu habeatur, & ematur, ne quidem particulā aliquā reliqui corporis adferāt, ex qua certò ſciri poſſet maritimū, an terreſtre, an verò amphibiū eſſet, quod tantum geſtaret theſaurum Subriſit Heros, & ex me quæſiuit, an tanto tenerer deſiderio videndi aliquam huius animalis partem. Reſpōdi nihil gratius mihi accidere poſſe. Accede igitur inquit, & voti fies cōpos, deduxit me verò in muſæum,

accra-

ac cranium oſtendit, cui adhuc cornu putatum inhæſit, cumque tam ſubitò cuncta accuratè ſatis luſtrare non potuerim, petij, vſibus meis tantiſper indulgeret, donec maiori diligentia ſingula rimari, & delineáre poſſem. Annuit Heros ille notiſſimus.

4 Cranium ipſum inueni mandibula inferiori deſtitutum, colore cinereo nigricante, qualis eſſe ſolet oſſium aeri diù expoſitorum, & ad putredinem tendentium inæquale, varijs foraminibus, & protuberantijs præditum, quibuſdam in locis æquale, & lęue, quibuſdam ſcabrum, ſubſtantia oſſis partim poroſiore, partim acutis adherentibus particulis, & fibris tali reddita.

5 Figura triangulari fermè in longitudinem protenſa, à vertice ad extremitatem proboſcidis, ſeù tenuioris eius partis, cui dens inſeritur, duos exactè habebat pedes Romanos, ab extremitate vnius latioris proceſſus, qui cilia firmabat, & oculum dexterum muniebat ad extremitatem proceſſus, qui ſiniſtrum tangebat, cranij latitudo erat, pedis vnius cum ſemiſſe, ea enim parte erat latiſſimum: gracileſcere deinde & imminui cępit in extremùm vſque oris. Occipitium versùs etiam paululum extenuabatur parte ſuperiore, ſed inferior eandem tenebat latitudinem, quam occupat. Linea ab vna oculorum orbita ad alteram ducta: occipitium totũ per diametrum pedem vnum paulò ſuperabat; ſed roſtrum, ſeu extremitas oris parte ſiniſtrà, cui dens inſerebatur, erat pollicum triùm cùm dimidio. Dextro latere vbi nullus erat alueus, qui dentem capere poſſet, craſſa erat vncia cũ dimidia, ſubſtantia fungoſa.

6 Ferunt, eiuſmodi belluas glaciei cruſtis maioribus implicatas, magno impetu hoc dente ſe expedire, vnde frangi, & mutilari haud raro contingit, quod ab oculatis, & fide dignis habeo.

7 Eius cum cranio coniunctionem quod attinet, abundè ex præce-

præcedentibus patet non cornuum inſtar externè adnaſci, ſed in cauitatem ſibi deſtinatam, ſeu alueum per gomphoſim inſeri; non ſecus ac dentes aliorum animalium ſuis phatnijs inſeruntur, ſitum verò talem occupat, vt ſi animal hoc naribus præditum eſſet ex ſiniſtra nare prodire iudicares, quod etiã putarunt quidam qui oſſa hęc apud me viderunt. Verùm cum bellua ſit marina cetacei generis naribus, & reſpiratione per nares non eget.

8 Auguſtanorum Medicorum Ταυτοψίαν ſubiungit *Vuormius*, qua conceptam de oſſe hoc, expectationem ſuſtineat, in cuius dilucidiorem confirmationem *Philippi Hyſteteri obſeruationes* adducit ſcriptas anno 1627, quas quiſque conſulat, quas *Olaus Vuormius* tentauit experientias ſuſpectam potiùs quam certam fidem faciunt, in columbis, inquit, duabus & catullis felium experimentum fecimus exhibito arſenico, & ſublimato; non planè ſine vllo ſucceſſu. Videatur de hoc *Thomas Broun in ſua Pſeudodoxia Epidemica cap.* 23.

9 Vili alioqui animali quantum natura indidit Theſaurum, quàm pretiosè piſcis incolumitati conſuluit, qui vt è glaciatis ſe expediat aquis, illi glaciei flagellum, & veneni fulmen inſeruit. Aquis tamen non inuidet tellus, ſiluæque Africanæ gronladicarum vndarum æmulæ animal nutriunt, quod monocerotis terreſtris ſibi vindicat nomen, quid ſcribat de eo *Olaus accipe*.

10 Animal hoc ab Africanis vocatur *Terre Bina*, ideſt animal cornutum, & in deſerto cano degere ſolet. Magnitudine, & figura eſt equi mediocris, caput, crura, & pedes habet equinos piloſos. Tubam ſpithamæ longitudine, caudam equinam colore griſeo, ſeù aſinino, per dorſum tranſcurrente linea nigra, vt aſinis; venter cum inferiore colli parte candicat, pilis paruis, & lænibus. In frontis medio cirrus extat longior ex quo emergit cornu, quod cum aufertur, ſecum cirrum iſtum trahit.

11 Cornu

11 Cornu hoc trium ſpithamarum eſt, longitudine, craſſitiè iuxta baſim, octo aut nouem pollicum, paulatim in apicem gracileſcens, cui inſidet, & adhæret alius cirrus pugni magnitudine colore purpureo, nullis gyris, aut ſtrijs præditum, ſed rectis in apicem excurrentibus ſulcis, colore flauo.

12 Cornu ipſum Africanis in magno eſt pretio, ob eximias quas contra venena habet facultates, exteriùs, & interiùs vſurpatum. Cum animal bibit aquam cornu ſuo turbat, & mouet antequam quicquam hauriat; vnde ipſi Africani eius vſum contra venena vbi requirunt, aquam extremitate cirroſa commouent, quæ mox ebullit, ac ſi igni eſſet appoſita; hinc bibunt, & ſanantur.

13 Scribebat hæc *Olaus Vuormius* ex relatione *Franciſci Marquis Æthiopis Africani*, qui Federico Tertio Danorum Regi fidem ſuam obligauerat futurum vt integrum cum cornu miteret animal, verùm fides viuente Vuormio nunquam fuit liberata.

14 *Plinius* imaginariam chimæram logicum ens rationis potiuſquam phyſicum animal monocerotem deſcribit; ſcripſere alij ſè vidiſſe verum, fides ſit penes auctores, vt *Teſtematum*, *Ludouicum Romanum*, *& alios*.

15 Si quid vel curioſiùs ex auctoribus haurire potuiſſem tuis conſulens, lector humaniſſimè, eruditiſſimis commodis profudiſſem ſuper impolita papyro, ne quid tamen deſit conſule *librum Amſtelodami editum anno* 1658. *Gallico Idiomate, cui titulus hiſtoire naturelle del Iſles Antilles de l'Amerique, innominati auctoris*, ſed doctiſſimi, duorum vnicornuum marinorum mentionem facit, quorum vnum in Inſula Tarugo prope Inſulam Sancti Dominici ſemel tantumodo viſum, effigiatum, & deſcriptum videbis cap. 18.

16 Deſiderium, quo feror, ex animo craſſam, qua premor, ignorantiam expungendi, detulit in manus meas, poſtquam

ſcrip-

ſcripſiſſem hæc, miſſiones Patrum Societatis Ieſu in Iapponenſem Prouinciam, per *Patrem Marinum editas* 1633. *Romæ*, in quibus de oriẽtalibus Regnis agens, Regni *Lao* ſiue *Langionum* inſeruit curioſam deſcriptionẽ, vtq; de ſoli vbertate, nemorumque elegantia diſcurrit, de *Vnicornu* affert ſubſequentia. *Gli Alicorni in qualità megliori delli altri; & hanno nelle lor corna vn non ſo che à guiſa di fiori, che paiono d'oro, & d'argento, che ne fà il pregio, & accreſce la virtù, contro ad ogni ſorte di veleno, e di maligno humore. Hæc Pater pag.* 447.

17 Vnicornu magis exiguum.

18 Duo Gazellæ cornua maxima nigra, & recta, quorum vnum bicubitale eſt, alterum verò longitudine inferius.

19 Gazellæ cornu naturaliter retortum bicubitalem menſuram ſuperans.

20. Alterum cornu artificiale eburneum quaſi bicubitale.

21 Altera dua Rhinocerotis cornua maxima, quorũ vnum dono dedit Marchio Caracena, tunc temporis Hiſpanus in Statu Mediolanenſi Mars. Erat hoc Fratris Ducis Bragantiæ, qui Mediolani carceratus concedens fatis, arcem nobilitauit.

22 Altera duo rhinocerotis cornua, ſed minora.

23 Alcis cornua, duas aquilæ alas referentia.

24 Vngula alcis.

25 Duo Ceruina cornua maxima.

26 Damæ cornua extremitatum latarum.

27 Caput magnis duobus cornibus grauatum indicę caprę. Hoc vnà cum barba alba cornibuſque, bicubitalem altitudinem æquabit.

28 Inſolitæ magnitudinis *cornu americani bouis*, cuius diameter triunx coloris nigri inauratis laminis ex auricalcho exornatum, & expolitum.

DENTES

DENTES PEREGRINORVM ANIMALIVM.

Caput XXIX.

1 DEns Elephantis magnus, & rectus quatuor cubitorum altitudinis ponderis 160. librarum.

2 Alter Elephantis dens.

3 Gronlandici Hippopotami dentes duo retorti ſuperant longitudine illos, ex nilo ex Niger, & Zaiſe.

5 Hippopotami rectus dens, ex magnis duodecim quos continet, præter molares.

6 Alter Hippopotami dens medius penè retortus.

7 Magnus dens Vaccæ Marinæ.

8 Roſmari dentes duo, qualenam ſit animal quæres lector, deſiderijs tuis faueo *ex Olao Vuormio cap.* 15. *lib.* 3. Veteribus inquit ignotum planè animal videtur, quod Anglis, & Ruſſis *Vualnus* alijs *morsh* Danis, & Iſlandis *Roſmans* vocatur; credo quod in ſeptentrionali oceano ſaltem reperiatur. Quidam Equum marinum, & Hippopotamum vocant.

Monſtroſum animal eſt, & amphibium bobus noſtratibus, vbi adoleuit interdum maius cute cani marino, de quo iam egimus, quo ad Hiſpiditatem, ſimile Buccauaccæ (vnde, & vaccæ marinæ nomen à quibuſdam obtinuit) niſi quòd duos dentes prominentes, & ante recuruos habeat, cubiti nonnunquam longitudine, quorum vſus ac pretium ebori comparatur, fœtum ſupra vnum, aut alterum vix enititur robuſtum, & ferox animal; idcircò difficulter capitur; ſæpius in terra. Huius catulum in hunc modum deſcripſit *Ælius Auerhardus Vorſtius*. Bellua hæc magnitudine erat vituli, aut canis britannici, maioris phocæ non diſſimilis, capite rotundo, oculis bouinis, naribus depreſſis, ac patulis, quos modo contrahebat, modo diducebat, aurium loco vntrinque foramina,

rictu

rictu oris rotundo, nec ita vaſto, ſuperiore parte, aut labro myſtaca gerebat ſatis cartilagineis craſſis, & rigidis conſtantem. Inferior maxilla trigona erat lingua craſſa, breuiſque atque os interius dẽtibus planis vtrinq; munitum, pedibus anterioribus, poſterioribusque latis, atque extrema corporis parte, phocam noſtratẽ planè referebat. Pedes anteriores retrorſum, poſteriores antrorſum ſpectabant, cum ingrederetur digiti quinque membrana interſepiente diſtincti, eaque craſſa, poſterioribus digitis vngues impoſiti non prioribus, cauda planè carebat. Poſtica parte repebat magis quàm incedebat, cute craſſa coreacea, piliſque breuibus; ac tenuibus obſita veſtiebatur, colore cinereo. Grunnitum apri inſtar edebat, ſeu vocitabat voce graui, & valida, repebat per aream abſque aqua, quotidie per ſemihoram, aut ampliùs dolio aqua pleno immittebatur, vt ſe ibi oblectaret. Catulus erat vt ferebant qui attulerant ex noua Zembla decem Hebdomadarum, dentes, ſeù cornua exerta, vt adultiores nondum habens, tubercula tamen in ſuperiori labro percipiebantur, vnde breuiároditura facilè apparebat. Hæc eadem leguntur apud *Ioannem Laet in deſcript. Indi. occident. lib. 2. cap. 6.*

9 Dens Leonis marini.

10 Dens Manati, manatus (inquit *Lopez*) piſcis eſt noſtro orbi incognitus vtri ſimilis, duobus dumtaxat pedibus ad humeros præditus rotundis, & quatuor vnguibus inſtar elephantinorum, quibus natat, ab vmbilico ad caudam gracilior fit. Teterrimo eſt aſpectu, capite bubulino, macilentiore tamen ore, & craſſiore mento, oculis admodum exiguis pro corporis mole, quæ interdum ad viginti pedum longitudinem accedit, corio eſt denſo quibuſdam pilis coloris cinericei obſito, fœminæ bina vbera habent, quibus ſuos catulos lactant. Vide *Aldroua. de cætis lib. 1. cap. 11. Nicumbergium lib. 11. Hiſt. Nat. cap. 9. Io. Laet. deſcrip. Ind. occid. lib. 1. cap. 4. lib. 15. cap. 21.*

11 Dentes Crocodili.
12 Dens Balenæ.
13 Dentes varij Lamiæ.
14 Lamiæ maximæ dentatum os cuiuſcumque hominis capax.
15 Lamiarum mediocrium duo dentata ora, ſiue canis Charchariæ rictus. Vide *Aldrouan. de piſcib. lib. 3. cap. 32.*
16 Rictus alter maximus, dentibus mille ducentum terribilis, hunc Mutinenſis Dux, Anno 1651. eximiè laudauit.

RARA ALIQVOT ANIMALIA.
Caput XXX.

1 QVinquecubitalis Crocodilus.
2 Alteri duo Crocodili, retorta cauda, apertoque ore cubitales.
3 Crocodilulus alter vix palmum longitudinis æquans animal amphibium.
4 Terreſtris Crocodilus ſpinoſa cauda.

5 Armadilli duo; triplex datur animalis huiuſce ſpecies, rarioris deſcriptionem ex *Patre Nicorembergio Hiſt. Nat. lib. 9. cap. 6.* excipe. Cataphractum quoddam animal Indiarum, variè appellatum inuenio. Hiſpani nuncupant *Armadillo*, Luſitani *Encubertado*, Itali *Bardalo*, Theuetus braſilico nomine *Tatora*, Mapheus *Tatuſian*, Geſnerus *Taton*; Noua Hiſpania *Chirquinchum*, alicubi *Caſſacain*, alijs Indis *Aiatochthli* dicitur hoc eſt cuniculus cucurbitalis, ſpeculis enim quemadmodum cuniculus conditur. Vna nocte ſpatium leucæ excauat; quarè niſi ligetur nullibi ſe includi patiens, perfodit vſque quò extra domum, & oppida emergat. Variæ ſunt ſpecies horum Loricatorum: mihi omnium mirabilior *Aiatochthus* cuius, & rarior mentio, & ſterilior, quare illum præſertim

narrabo, duris armatur laminis, quas ipſe vidi. Canis melitenſis eſt magnitudine. Pedes ei ſuis paruuli, roſtrumque ſed oblongum, & gracile; armatur vndique cruſta militari; & cataphracto equo perſimili, in laminas connexas atque mobiles diuiſa, quibus ſe inuoluit, atque vndique tegit, auriculæ marinæ, ſed longiores nimis graciles, cauda eius eſt longa, teres, geniculata, eodemque modo laminis cruſtatis circumuallata. Venter ter pelle operitur molli, humanæ haud diſſimili, longiuſculis, ac raris pilis veſtita; formicas venatur, ſupinus cubat, atque cauda ori admota, qua recta procedentes formicę incidunt in inſidias, & cibum deludenti ſuggerunt, plura leges apud *eundem*, *nec non apud Ioan. Laet deſcrip. Ind. occid. lib.* 15. *cap.* 5.

6 Chamæleontes duo, maſculus, & fœmina retorta cauda.

7 Duo Lybici ſchinchi. Animalia ſunt lacertarum adinſtar, puluis horum ciet quàm maximè Venerem; adi *Ferrantum Imper. lib* 28. *nat. hiſt.*

8 Quarta Pars ſuperior capitis Crocodili, cuius longitudo quatuor ęquat palmos, conijce hinc quàm ingens quàm horrendum monſtrum, nec tales alit Africa partus. Africani enim niloticique crocodili tantę molis haud ſunt. Dentium alueos ſi dimetiris ſemivncię diameter eſt. Animal Americanum eſt. *Ioannes Euſebius Nieremberg.* immanem beſtiam deſcribit; in cuius ventre integram fœminam cum veſtibus inuentam fuiſſe tradit quam pridie vorauerat *lib.* 12. *cap.* 5. *Hiſt. Nat.*

9 Mures, è Moſcouia tres.

10 Palmaris teſticulus quem Caſtorei crederes ſic ſuadente odore, quem exhalat, cuius autem animalis ſit, haud certò liquet.

11 Amphibium animal lacerti cute, partim cinerei, partim fuſci coloris, quę ſquammulis quibuſdam tecta eſt, circa caput, quidem maioribus, in tergo autem, & ſub ventre minoribus

ribus, cauda oblonga, quam ſimiles ſquamulæ, quibuſdam ordinibus ab initio ad finem ambiunt, ita vt quartus quiſque ordo, è maioribus conſtet eleganti varietate à ceruice ad extremam penè caudam per dorſi medium, ſpinæ quædam mucronatæ inſtar ſerræ deſcenderunt. Rictus ſatis amplus, in vtraque mandibula plures dentes, breues, & peracuti, oculi grandes, & depreſſiores; Binas habet nares in extrema pene ſuperioris roſtri parte, ponè caput foramina duo, piſcium branchias referentia, ſub ceruice ingluuium ad pectus vſque pendulum; crura, quatuor quorum duo anteriora minus craſſa, breuioraque quàm poſteriora, ſingula autem, quinque digitis diſtincta, quorum quidam binis, alij ternis, alij quinis articulationibus conſtant, omnes nigricantibus, & acutiſſimis vnguibus armati: taciturnum eſt animal, & inediæ patientiſſimum oua parit 40. aut 50. rotunda, teſta admodum tenui; & fragili, nucum magnitudine, albumen, & vitellum continentia; non minùs grati ſaporis, quàm caro animalis: vtrique enim tam Barbari, quàm Hiſpani veſcuntur, & in primis laudant: in terra iuxta flumina, & lacus oua ſua excludunt. *Hæc Ioan. Laet. in deſcript. Indiæ Occid. lib. 1. cap. 9. Nierembergius lib. 12. cap. 6. Hiſt. Nat. Olaum Vuorm. cap. 22. de Pedeſtribus lib. 3.*

12 Aliud Zoon ex lacertarum genere, cum exoticum ſit ignoratur nomen.

PISCES ALIQVOT PEREGRINI.
Caput XXXI.

1 PIſcis lamia integer quatercubitalis.
2 Piſcis canis tricubitalis.
3 Piſcis alter, piſci cani ſimilis latet nomen.
4 Piſces duo ex nilo, qui cum rotundi ſint dicuntur *Orbes*.

Adi

Adi *Patrē kircherium lib. 3. mundi, ſiue catenæ magnæ partē 6. §. 6. leges curioſum phyſæ magnetiſmum.*

5 Alij duo mole minores.

6 Alter piſcis orbis ex mari del Sur.

7 Cancer volucanus ſingularis.

8 Piſcis ſtella ad inſtar ſtellæ latitudinis ferè palmorum duorum.

9 Piſcis triangularis ſtellatus.

10 Piſcis volans hirundinis nomine.

11 Marinus cancer maximus.

12 Perlonga ſerpentis exuuia, palmaris latitudinis ſupra dimidium è paraguay. maximum flumen eſt *Ioan. Laet. lib. 16. cap.* 4.

VARIÆ DIVERSORVM ANIMALIVM partes. *Caput XXXII.*

1 INtegrum, & ingens Hippopotami vulgo equi marini caput è Congo tranſmiſſum animal Africani zaire, cum duodecim magnis dentibus preter mandibulares.

2 Lamiæ os ex maximis quæ inueniantur.

3 Aliud ſed minus.

4 Delphini caput.

5 Alterū Delphini caput hoſtis piſcis piſtris mediterranei.

6 Naſi duo piſcis piſtris mediterranei non dentati.

7 Magni naſi tres, piſcis piſtris dentati, maris oceani, dicuntur *Serræ marinæ.*

8 Duo vitulina capita vnita à natura.

9 Lupi marini caput.

10 Alterum lupi caput.

11 Pici Braſilicani caput Taucan dixere Indi, roſtrum auis, mole, totum ſuperat corpus.

12 Caput auis Rugæ, ſiue auis rhinocerotis paſmum longitudine excedens ſupra dimidium, cranio roſtroque admirando.

13 Auis cranium, cum roſtro magno ex ſpecie anatrina, retulit *Pater Samadeus*, ex illis eſſe, quas Chinenſes edocent, orizæ mundationem.

14 Caudæ duæ ex maioribus, quæ inueniantur marinæ paſtinachæ ſpinis horridæ bipalmarem cum dimidio longitudinem æquant, continent ſpinam præcipuam.

15 Alteræ duæ minores, ſuis armatæ ſpinis, vna cum principaliori, quam tradunt dentium dolores ſedare.

16 Sirenis manus, aut piſcis Muſcier, quatuor coſtæ, quas D. Rencius ab Amſtelodamo dono miſit.

MVMIÆ, VEL POTIVS MEMBRA Mumiam ſundentia. *Caput XXXIII.*

1 MVmia eſt condimentum cum ſanie cadauerum miſtum, & exſiccatum, bituminis modo circa oſſa concreſcens colore nigro vel ſubflauo ab interitu cadauera vindicans; proh dolor datum cadaueri quod negatum hominibus? duplex eſt ex pice, & bitumine conſtans, quæ piſaſphaltos dicitur; nobilior altera, ex aloe, myrrha, croco, & balſamo, alijſque aromatibus cum ſanie cadauerum miſtis conſtans, errant igitur, qui pro mumia in ſuis cauitatibus corporis concreta, ipſam carnem ſumunt cadaueroſam. Integra cadauera ita condita parturit ęgyptiaca tellus, ſed pręferuntur, vel poſt mortem, magnatum, eo quòd illa nec dum mundanarum Oblita deliciarum in aromatibus, & balſamis decumbāt, vnde nobilior mumia.

2 Brachium vnà cum manu, vt credendum eſt Regis alicuius Ægyptij ſummo cum artificio, & impenſa filis, ſeu vittis

exilibus

exilibus omnino ita eleganter circumuolutum, vt vermiculatum opus referant: odorem ſuauiſſimum redolet, ſeruaturq; in Capſula vitro circundata.

3 Alterum Brachium, manu in pugnum compoſita.

4 Pes pulcherrimus. Vide *Olaum Vuormium lib. 1. cap. 8. & lib. 3. cap. vlt.* Sed inter omnes vota tua explebit curioſiſſimus *Petrus de Valle epiſt. 11. à cairo. 15. Ianuarij 1616, n. 8.*

AVES DVÆ SINGVLARES INDICÆ Orientalis vna, Occidentalis altera.

Caput XXXIII.

1 CEleberrimæ duæ Paradiſi aues, ſiue manucodiatæ apos vna, pedes habens altera, vt experientia litem dirimat philoſophos inter naturales inſignem, *manucodiatas* non eſſe apodas. eruditis ego lectoris humaniſſimi conſulens commodis, omiſſis, laudatiſque aliorum laboribus afferam, quæ *Nierembergius lib. 10. Nat. Hiſt. cap. 13.* ex Cluſio recitat. Parces legendi tædio, dum Paradiſi delicias inſpicis.

2 Ceterùm magna nos admiratione naturę mulctauit Cluſius, cum has aues pedibus inſtructas fecerit, niſi aliundè reſtauraret pleniori Hiſtoria de moribus earũdem, politia, & fide in Regem. Eius ſententia hæc eſt. De Manucodiata igitur, ſiue ea aue, quæ à Paradiſo cognomen accepit plerique inter neotericos, veteribus enim ignotam fuiſſe opinor, ſcripſerunt, nemo tamen mea quidem opinione, exactiùs quam Clariſſimus Vir *Vlyſſes Aldrouandus*, nam de omnibus rebus, quæ ad eius auis hiſtoriam facere poſſunt accuratiſſimè, & ſubtiliſſimè diſputauit, atque in quinque ſpecies diſtinxit; totidem enim ſe obſeruaſſe ſcribit. Video enim ipſum, & reliquos omnes, qui de hac aue commentati ſunt, in hoc conuenire, vt illàm pedibus carere iudicent, quia quotquot ipſis

 fuere

fuere conſpectæ, eæ non niſi pedibus mutilæ. Hinc factum eſt, vt *Antonium Pigaffettam*, qui cum *Magellano* profectus, naue victoria vectus totum orbem primus circuiuit, mendacij, & falſitatis arguere, fidemque eius imminuere non ſint veriti, quòd è longa illa nauigatione redux, huius auis notitiam Europæis hominibus primus dederit, & in nauigationis ſuæ diario pedes, crura dicere voluit, palmum longos ſed tenues huic aui attribuerit. Ego ſanè licet hactenus in eadem erronea opinione ſim verſatus, vt eas aues apodes cenſuerim præter Ariſtotelis ſententiam, qui nullam auem abſque pedibus aſſerit, quia quas mihi videre contigerat, tum in Hiſpanica mea peregrinatione, Vlyſippone binos menſes hærens, tum in Belgio apud diuerſos, qui exoticis huiuſmodi rebus delectantur omnes ſine pedibus vidi, & exenteratas; tum tamen temporis, vt verum fatear, minimè curioſus eram ad obſeruandum an aliquod inter eas diſcrimen. Poſtremæ tamen Batauorum nauigationes in Indiam effecerunt, vt ſine difficultate ſententiam mutauerim cum Amſtelodamum quaſdam integras cruraque cum pedibus retinentes allatas eſſe certum ſit, & ab ijs qui conſpexerunt intelligebam crura illa picæ variæ cruribus admodum eſſe ſimilia, infirmiora tamen, nec adeò craſſa, coloremque habere non atrum, ſed ad Caſtaneum tendentem; Nihilominùs tamen videre cupiuiſſem: & ſi vnam duntaxat nanciſci licuiſſet, ſtatim in tabella exprimendam curaſſem, vt lectori ſpectandam proponerem, & Pigafettæ fidem confirmarem; ſed cùm illicò propter raritatem fuerint redemptæ, & Francofurtum ad Męnum translatę, & inde porrò, vnà ad Cæſarem Rodulphum huius nominis ſecundum (cuius maieſtatem his rebus peregrinis, & omnium naturæ miraculorum cognitione impensè delectari audio) mea ſpe fruſtatus ſum. Si verò contingat aliquas integras denuo adferri, idque tempori reſciuero, dabo operam, vt nanciſci poſſim, vel ſaltem commodatò,

modatò, vt eius iconem exhibere queam, ad conuellendam vulgo conceptam de illis auibus opinionem quæ apodes eſſe ſentit. Cœterum nautæ, qui has aues attulerant, licet Inſulas in quibus ipſę aues naſcuntur, & viuunt non adierint ab illis tamen, à quibus redimebant intellexiſſe mihi affirmatum eſt omnes pedibus eſſe præditas, incedereque, & volare aliarum auium inſtar: ſed incolas ſimul atque eas cęperunt, inteſtina, pedeſque adimere, & abijcere, deinde ſoli exponere, vt facilius areſcant, aridas, adſeruare, vt reprendant aut ſuis caſſidibus pennarum loco aptent. Addebant præterea eas aues in ſyluis verſari, & triginta, quadraginta quaque ſimul per turmas volare ſolitas, ipſarum Rege, vel Duce Comite, qui ſupra reliquas perpetuò ſublimis volat, atque, quod fabulæ proximum, ſi ſitis moleſta eſt, aliquam à cateruа primùm ad aquam emitti; explorandi gratia, quæ ſi à potu nullam noxam ſenſerit, tum demum totam cateruam aduolare, & bibere, ſin autem morbida redierit eam aquam à reliquis vitari, eaſque auolare aliam inquiſituras, addebant inſuper Inſulanos aquam hac ratione ſolere inficere ad aues captandas, conſpicientes harum auium aliquam turmam pręter volantem quo ſe ſe conferat obſeruant, atque vbi auem miſſam bibiſſe, & reuolare vident, illico venenum in illam aquam conijciunt quam dum tota turma guſtatum venit inficitur, & ſic præda fit. Sed etiam illas aues interdum ſagittis peti ſolere, atque ſi contingat illarum Regem interfici illo cadente, reliquas aues, quæ in ea turma ſimul cadere, & ſe ſe compræhendendas præbere tamquam amiſſo Rege vitam retinere nolentes. Iſtarum porrò auium duo genera conſtituebant: vnum maiorum, quæ elegantiores, alterum minorum, & minùs elegantium: vtrique autem generi ſuum eſſe regem peculiarem, & colore differentem. Maioris generis aues, quarum Rex elegantis, & venuſti coloris in Inſula Arou, ſiue Aru, ſic enim illud ou, pronuntian-

dum,

dum, dumtaxat reperiri: minoris verò generis aues in Inſulis Papuis, Inſulæ Gilolo vicinis produci.

3 Quid *Nierembergius* ſentiat ſequentibus verbis excipe. Aliquas tamen, inquit, ego manucodiatas ab India adductas vidi, ſed neſcio vnde pedes auulſi, quin ſi terræ aut ramo darent ſe, magnum incommodum acciperent in pennis, nec ſine periculo hęrendi ornatu ipſo intricatæ, tota enim auis videtur crinita, & potiùs opus eſſe vi ad deprimendam ſe, quam ad ſuſtinendum in ęthere, tanta læuitatis ſuppellectili, exornatur. Mihi quoque renuntiauit teſtis oculatus, qui colligit Paradiſi anam iſtam auem recens mortuã nullos in illa pedes inueniſſe hæc *Nierembergius*. Ego verò, vt verbis parcam, & curioſitati legentium ſatisfaciam Iconem pedum habentis auis, apud *Olaum Vuormium* videbunt, vnà cum politiſſimo diſcurſu, qui apprimè curioſum ſciendi deſiderium explebit.

4 Auicula altera adeò per exigua, vt atomum pennis circumdatam diceres. Dicitur iſta *Duriſia*, ſiue *Tomienos*. *Ioannes Laet in deſcript. Ind. Occid. lib.* 5. *cap.* 17. de ea ſic habet; Inter volatilia meritò laudatur auicula longè minima inſtar papilionis oblongo roſtro, & incredibili plumarum ſubtilitate, atque elegantia, è quibus componuntur ſingulari induſtria imagines, haud ſecus quàm ſi coloribus eſſent pictæ; rore tantùm, qui floribus inſidet inſtar apum victitans *Huitzitzil* appellari ſcribit Fr. *Ximenes*, & floribus marceſcentibus, arborum truncis roſtrum infigere, atque ita immobilem inſtar mortuæ illis adhęreſcere per ſex menſes, donec pluuijs redeuntibus flora rurſus, campos veſtiat. *Gomara* vocat *Vicicilin Ouiedo paſſerem Moſquitum*. Reperitur paſſim in omnibus pene Americæ regionibus inter vtrumque tropicum, accuratiùs deſcriptam apud eundem *leges lib.* 15. *cap.* 7. vbi grana viginti quatuor, vna cum plumis pendere ait; Vide *Nieremberg. Hiſt. Nat. lib.* 10. *cap.* 22.

EXO-

EXOTICA QVÆDAM E COLORATIS auium Indicarum plumis contexta.

Caput XXXIV.

1 HIſpanienſis Sanctæ Peruuiana imago elegantiſſimus ſupra deſcriptæ auiculæ plumis induſtrioſiſſimè contexta, habitu Carmelitano tam bellè expreſſo, vt pictrici arti plumarum contextria inuidiam cieat.

2 Adeſt altera Beatæ Virginis effigies, vnà cum Infante Domino, nec non S. Ioannis Baptiſtæ; opus planè vndique admirandum.

3 Indiani Antiſtitis Pontificia veſtis, coloris ignei, ſanguineique; paucis aliorum colorum plumis inſertis. Magnæ induſtriæ opus, & conſideratione dignum.

4 Earundemmet plumarum, & cingulum, & corona, quibus Sacerdotes ijdem ornantur. Hæc dono dedit Princeps Landus Piæ memoriæ.

5 Chilenſis ſtrutiocameli elegans pennarum congeries, ad verrendum è veſtibus puluerem. Differunt plumę hæ ab Africanis, nam illis prout arctiores, ſic longitudine illas excedunt, bipalmares enim ſunt.

6 Altera plumarum congeries coloris ignei euerrendi pulueris munere fungens; ex braſilienſibus coruis.

7 Adeſt cauda quam hippopotami dixere nonnulli, nonnulli verò bouis Indici, coloris candidi, elegantiſſimi ſubtiliſſimorumq; pilorum inaurata ex argento bractea hanc vincit. Apud Moſcouitarum magnates, magnique Cayri, equorum ornamentum eſt ſub collo appenſa.

CLAVÆ VARIARVM REGIONVM.

Caput XXXV.

1 CLaua Braſilienſis, è ligno duriſſimo, cuius durities tantam fert læuigationem, vt ſpeculi reflectat in morem, color eſt caſtaneus.

2 Altera Claua Braſilienſis, hac Braſilienſes incolę armati, ambabus manibus in hoſtium capita intentant; lignum ponderoſiſſimum eſt Hiſpanis *Pal ferro*. Cęditur in Tunchini ſyluis duriſſima arbor, quæ barbaro idiomate *Lim* dicitur; hanc Luſitani Pal ferro nominauere innatas, aptiſſimo vocabulo ligni qualitates exprimentes; ſiue pondus ſpectes, quo in aquas ſubmergitur, ſiue colorem, quo rubiginem æmulatur. Videtur in ferrum ferri antipatia quadam, vt illud corrodat, & exedat. Norunt hoc qui roſtratis præſidentes nauibus vigilant in interna ipſarum armamenta; vt ſtatis temporibus renouare clauos neceſſe ſit aſſerum iungentes trabiumque fulcientium ex hoc ligno, relaxatis laterum compagibus inopinatum naufragium patiantur. *Vide miſſiones Patris Marini in Iapponenſem plagam lib.* 1. *pag.* 39. *Rom. edito* 1663.

3 Alteræ duę Clauæ Chilenſes lapideę, quarum manubrij aſperitas cum impugnantem læderet manum Chinenſi ſandaracha, nempe Charan Septalius expoliuit.

4 Haſta prælonga acuta pura ex ligno Indiæ Floridanę.

Ferræ clauæ omni ſtudio elaboratæ.

5 Clauæ Polonæ ferreæ, clauis duobus maximis armatæ.

6 Moſcouitarum, Tartarorum *Clauæ*.

ARVNDI-

ARVNDINES QVÆDAM NOTABILES.
Caput XXXVI.

1 INdicæ tres arundines, quibus diuerſicolor impiƈta ſandaracha, vt turcicam referant papyrum, harum vna dono dedit Sereniſſimus Magnus Dux Florentiæ.

2 Feniculi quatuor ex India nigri lucidique ebenum mentientes.

3 Indici Iunci craſſi ſed leuiſſimi.

4 Indicæ duæ arundines, quarum vnà varijs ſignata coloribus.

5 Alteræ tres ſubtiles, vnaque ſupra expeƈtationem funis in modum contorquetur, vt vbicumque velis poſſis reponere.

6 Arundo baculi vicem gerens ſuper qua non vulgari ingenij acumine præditus, regiones, venationeſque incidit manubrio ebenino.

7 Baculi duo ex ligno ſerpentino, quorum vnus eburneo manubrio ſplendet, alter verò turgentibus, vndique vndis tumentibuſque fluƈtibus egregio opere conſpicuus.

8 Alter operibus diuerſimodè faƈtis elegans.

9 Baculus alter retortus, ſuper hoc ludunt vndæ.

10 Arundo ex maioribus quas ferat oriens, triunx diameter eſt, ſed leuiſſima.

11 Arundo altera ex manillia Inſularum philippinarum. Ad arcus conſtruendos iſta inſeruit, efformandos baculos, fabricandaque ſcrinia, arbor omnis ingentis eſt ponderis.

ARCVS,

ARCVS, ET PHARETRÆ CVM ſuis Sagittis. *Caput XXXVII.*

1 BRaſilienſis arcus longitudine quemlibet hominem ſuperans tantæ luciditatis, vt ſpecies reflectens ex iaſpide crederes. Arundinaceæ huic adſtant ſagittæ, quas inter, vna iunci Indici adeſt ferreæ cuſpidis vice, oſſeum acumen bifidum gerens, ingenioſiſſima induſtria iunco commiſſum, hinc paulò inferiùs iuncus, à fructu indicò rotundo, nigroque excipitur forſan, vt ornamenta inflictorum vulnerum dolores leuent, à pulchro enim faciliùs toleratur malum.

2 Alteri duo arcus floridani, hominis altitudinẽ ęquantes.

3 Alteri quatuor, ſed ignoti ligni verùm perſpicui.

4 Alter humanam altitudinem excedens duriſſimus; hoc tenſo funis videtur ferreus, arboreo, hic tegitur cortice, opus eſt vel braſilienſe, vel ex Congo.

5 Alter arcus ex nigra arundine Indica donum Flandricum, hoc pſitaci petuntur, funiculis vndique circumuolutis, calculatum opus referentibus.

6 Arcus pulcherrimus nigrę arundinis Indicę, cuius altitudo tricubitalis.

7 Veneti duo arcus, quibus pilæ iaciuntur.

8 Arcus tres Turcici, Conſtantinopolitani, è gazelę cornu rubea ſandaraca conſpicui, vbi neruus vincitur.

9 Matre perlarũ alter exornatus arcus varia pictus vernice.

10 Arcus duo ſfaciotti, è cornu bubulo, lati.

11 Alteri duo Turetani arcus, è Barbaria.

12 Alteri duo Algeriani, quorum vnus candida ſandaraca nitet.

13 Alter latiſſimus, tartaros his vti credimus.

Duo Perſici.

14 Alter

14 Alter minio rutilans.

15 Alteri quatuor non inelegantes ex Aleppo.

16 Alteri quatuor, qui temporis ſenſere vim, quorum vnũ omnino fregit Septalius, vt ex vnius corruptione aliorum inueſtigaret generationem. Conſtant ligno, neruo, cornu, lineas induſtrioſas excauant in ligno, quibus neruum committunt totidem lineis inciſum, ex altera verò facie eodem labore cornu adaptantes tenaciſſimo piſcium glutine omnia compaginant; hinc lignum, duritiem neruo, & cornui; neruus, & cornu, ligno flexibilitatem communicantia, alterutra quo carent ſumunt ab alterutris.

17 Turcicę pharetræ quatuor, in quibus characteres turcici leguntur.

18 Pharetræ alteræ duę polonæ, vnaque Moſcouitica ſericis conſpicuæ laboribus.

19 Tartarorum altera magna, cui imponũt tenſum arcum, vnà cum ſagittis, hæc varijs eſt plena ſagittis.

20 Capſula arundinum plena, inter has, ex Candia adſunt eburnea cuſpide, quibus in hymenæis vtuntur. Sedet noua nupta, maloque aurantio ęapiti eius impoſito, per 40. paſſus recedit ſponſus, ſponſam certificaturus quod benè ſagitta collimet. Ab hoc eleganti quadam cerebroſitate ſagitta vibratur. Pomum feritura ictũ tam certo, vt nec tam ſecurè Florentini Galbulas balliſta iciant.

21 Pharetra pulcherrima phrigiata, vna cũ perpolitis ſagit-(tis

BALLISTÆ DIVERSI GENERIS.
Caput XXXVIII.

1 BAlliſta, varijs, varijſque cælata figuris, non vulgaris laboris. Ornant hanc ſex numiſmata aurea paribus diſtantia interuallis, per balliſtæ longitudinem. Opera colli-

mationi

mationi inſeruientia Delphini ſunt auro nitentes, ferris commiſſo, vbi faciem appouis, ne ictus cadat irritus, illam delphinus ligno inciſus excipit; hinc in arcum ferreum rectà tendit oculus, cuius apex leui inciſura tactus, illi aditum in globulum aperit, quo in ſcopum directo, dextera leuiter comprimitur ſubſtans ferreus delphinus auro micans, expeditoque ab impedimentis neruo pila volat, ferreo acta arcu, violentæ tenſionis impatiente. Laminæ firmantes arcum, ſerpentes ſunt, mutuis vincti complexibus auro coruſcantes. Balliſta terminatur in alitem Iouis fulminum miniſtram, nitentem auro, quaſi indicantem, balliſtam pulcherrimam Iouis armamentario dignam.

2 Balliſtæ quatuor Florentiæ confectæ.

3 Aliæ diuerſæ balliſtæ ſagittatoriæ, quarum prima, quæ tractoria intenditur machina ſex armatur rotis, ex pulchrioribus, quibus Antuerpienſes vtuntur icturi pſitacum die Epiphaniæ ludicra quędam concelebrantes, arcus quatuor digitorum latitudinis eſt.

4 Alteræ duę balliſtæ eiuſdem generis antiquę ſuis cum funibus, machiniſque tractorijs à prima diſtantibus.

5 Altera balliſta eburneo manubrio Imperialique gentilitio, ex qua materia conſtet arcus neſcitur vndique enim tectus eſt, varijſque operibus exornatus.

6 Altera balliſta eburneo manubrio, Chalybeato arcu, ſed artificioſis tecto, & exornato laboribus.

7 Balliſta, cuius inuentor Septalius hæc igne, vento, pilaque cretacea auem interimit.

8 Balliſta inſolita, & validiſſima arcti ſemicirculi, ad duos pollices craſſi.

9 Alteræ duæ antiquæ balliſtę, funibus armatę validiſſimis bombardarum fuere prodromi.

10 Alterę duæ non adeò ingentes.

11 Alteræ

11 Alteræ duæ variantes in opere, prout loca, in quibus conditę fuere,

12 Tractoriæ machinæ quatuor cannęque tres ad intendendas balliſtas.

13 Capſulæ duæ ſagittarum, balliſtis inſeruientium. Alteraque capſula ſagittarum globulo armatarum ad pſitacum petendum, vt vnde infixus eſt detrudatur.

14 Arculus, in quem leges ſeueriſſimè animaduertunt, ſua cum tractoria machinula ad intendendum.

15 Alteri duo validiores, qui breuioris formæ, ſclopulorum vicem ſubire poſſunt.

16 Duæ Bombardæ militari mundo inſtructę.

17 Altera Aenea bombarda ad ſcalæ cacumen ſita, qua in melititirium naturale tenditur concamerata, pilas euomit trilibres.

18 Iacent omnia hęc ſub aſſerculis ſtrata: Scrinia vel forulos ſuſtentantibus.

CLOSTRA ARCANI, ET ELEGANTIS Artificij. *Caput XXXIX.*

1 AVguſtanum Cloſtrum, quod Princeps Landus dono dedit, curioſiſſimum artificium, quod elaboratur dum fabri ferrarij in Magiſtrorum Catalogum referri curant. Quinquaginta numorum aureorum æſtimatur. Clauem habet maximi artificij octo vnciarum longitudinis.

Alterum magis exiguum verùm qui arcana non nouerit nunquam adaperiet.

LIGNA ODORIFERA, ET ALIA PRETIOSA
Caput XXXX.

1 CAlambà pretioſiſſimum, de quo plùs admirationis quàm notitię habemus *Ioan.Nug.Linſcot.in itinerarij ſui Cap.* 22. hæc habet. Duo hæc loca Paro, & pataue regnorum celebritatem habēt, ſub tributo tamen Regis Siam. Hiſce locis naſcitur lignum, palo d'Aquila dictum, & odoriferum illud, pretioſumq; Calambà lignum, quod cum bonum eſt auro argentoq; ęquatur. Hęc Linſcotanus. Adducere poſsũ pretium quo Sereniſſimus Florentiæ Magnus Dux fruſtum ligni tricubitalis emit; vngaros enim quatuor mille impendit.

2 Sub nomine Agallochi præſtantiſſimi huius meminit *Olaus Vuormius* in ſuo muſæo *Cap. XV. lib.* 3. arbor inquit, eſſe dicitur oleæ inſtar fructu piperis modo rotundo, & rubente ligno thuiæ ſimile maculato, odorato, quæ cortice craſſo aliquantulum verſicolore veſtitur à *Cæſalpino lib.* 2. *de plantis cap.* 2. ita deſcribitur. Ramenta ligni adferuntur nodoſa, denſa, ſubcineritia maculis nigris, quæ ſi fricentur odorem ſuauem ſpirant, ſi admoueantur igni pinguedinem exudant ſapore amaro. Cadit deſcriptio hæc ſupra ligni fruſtum tricubitale quod Sereniſſimo Magno Hetruriæ Duci in delitijs eſt, vęnijt quatuor mille vngaris.

3 Pater Chriſtophorus Burrus Ieſuita Mediolanenſis in *relatione Regni Concincinnæ*, quod ipſe luſtrauit in relatione inquam, Italico idiomate Romæ edita anno 1631. *cap.* 3. de Terræ fertilitate, ligni huius pretioſiſſimi meminit, cuius ſenſus latini redditi ſic ſonant. Quandoquidem arborum incidit mentio quibus Regio hæc ſupra omnes locupletata vireſcit, antequam vlteriùs progrediar abs re non erit meminiſſe ligni, mercium omnium quæ à Concincinna extrahantur pretioſiſ-

ſimi

ſimi. Celebratiſſimum hoc Aquilæ, & Calambà lignum eſt, ortum ſi ſpectes; vnum, idemq; ſunt ſi verò virtutes examines, differunt. Harum arborum ſupercilijs læti, vmbroſiq; kemeij montes in Cælos aſcendunt, vt è Cælis odoris rapiant ſuauitatem, quæ communicata arboribus beat inexplebiles viuentium luxus. Cœduntur amœniſſimæ Siluæ non minore vſu, quam auri fodinæ excauentur, & licet vnicuique illam lignorum ſtruem conficere quantùm velint nulla prohibente lege, niſi truncum ſenio confectum offenderint, qui Regio debetur ærario; ſenectus enim arboris parit *Calamba*; Plantæ verò quæ minoris ætatis ſunt paſſim occurrentes, dicuntur *Palo d'Aquila*, odoris fragrantia impares, ſed tanti mercimonij, vt exteris mercatoribus fauente Rege extractione conceſſa, ſi nauem vnam, domum ſuam onuſtam reuexerint, non eſt quod vela ampliùs credant ventis pauperiem euitaturi per ſaxa, per vndas. Pretioſiſſimum autem perdifficile inuentu eſſet, ni natura quos produxit, ſuos mortalibus abſcondens, comunicaret theſauros. In ſummis enim inacceſſibilibuſq; montium iugis arbores hæ vireſcunt, quibus tempore exeſis trunci fatiſcentes in ſubiecta cadunt, qui è præcipitibus aquarum torrentibus decurrentibus per montium iuga, vel rapiuntur deorſum; vel aliquando ſparſi inueniuntur; hæcque merces regia eſt, nulla vilis lucri nota inurente, vbi colligitur. Calambà quinque argenteorum æſtimatur in ſingulas libras, in portu Cincinnæ, vbi maximè viget commercium, ſexdecim, vbi fuerit in Iapponenſia emporia delatum, ducentum. De ligno hoc pretioſo lector hæc parua tibi ſufficiant, Poſtquam hæc ſcripſiſſem meas aduenere manus miſſiones Patrum Societatis Ieſu in Iapponenſe regnum, præcipuèque in Tunchinum, à Patre *Philippo Marino* eximia facundia editæ, Romæ impræſſæ anno 1663. qui de hoc ligno agens non conuenit cum Patre Burro in omnibus, quęre librum hunc lector, vt nullo

incommodo remotiſſima peragas regna, inſolitiſque curioſitatibus paſcas animum.

4 Fruſtum aliud Calamba nigris aſperſum maculis, teredine exæſum, fragrantiſſimum.

5 Aloes ex perfectiori, & ponderoſo. Senſit *Linſchotanus* eſſe, Palo d'Aquila.

6 Teredine corroſum aliud aloes fruſtum.

7 Nodoſa aloe, & oleaginoſa.

8 Fruſta tria magna, ligni, Palo d'Aquila. Viuit in horum vno maxima artis induſtria inciſus Patauinus protector Vlyſipponenſis D. Antonius fouens gremio eburneum infantem, vnà cum libellulo pariter eburneo, ſtatuæ altitudo bicuncem ſuperabit.

9 Alia fruſta palo d'Aquila, odore iam iam in Calamba inclinantia in ligno hoc ſenectus ipſa non eſt morbus.

10 Precaria ex Calamba corona, ponderis duarum ſupra viginti vnciarum auro vndiq; vincta, ligno, auro, & artificio pretioſa.

11 Altera corona ex Calamba, quàm Ianuenſis Eques Spinula dono dedit odoris ſuauiſſimi.

12 Variæ precariæ coronæ ligni palo d'Aquila, quarum vna verum Calamba quaſi aſſequitur.

13 Altera corona ex ligno violaceo, nempe ligno violarum odorem ſpirante.

14 Lignum Zacharanda valde odoriferum.

15 Fruſta tria ligni laſafras, vnum ex florida, altera duo braſilienſia.

16 Fruſta duo aloaſtri Rodiaci.

17 Varia fruſta ligni roſei ex quo oleum pretioſiſſimum chymicè elicitur.

18 Fruſta cannellæ ex Zeilan, ſiue Ceilon.

19 Fruſta cannellę alia inferioris notæ. Sandalum rubrum, album citrinum.

20 Lignum

20 Lignum nephriticum in Noua Hiſpania *coatl*, & alijs *Tlapa lozpatli*, grandis frutex, quique non rarò in molem arboris excreſcit; truncus illius eſt craſſus, enodis inſtar piri arboris; folia ſunt ſimilia ciceris folijs, verùm minor, aut non diſſimilia rutæ, aut paulo maiora: flores exigui, oblongi, lutei & ſpiratim digeſti; eſt frigida, & humida planta, licet parum recedat à medio temperamēto. Materies illius tingit aquam cæruleo colore, quæ pota refrigerat, & mundat renes, & veſicā, temperatque vrinæ acrimoniam. *Ioan. Laet. deſcript. Ind. occid. lib.* 5. *cap.* 3. Obſeruat *Franc. Ximenez.* Lignum poſtquam quindecim dies continuos aqua maceratum fuerit, virtutem illis penitus exhauriti, neque ampliùs aquam colore illo cæruleo tingi. *Vide Monardem cap.* 27.

21 Lignum aromaticum Indiæ occidentalis. Fruſtum ligni ex Angola tranſmiſſum leucophæi coloris pulcherrimi maximæ duritiei, ingentiſque ponderis.

22 Lignum ex Angola, Bonghi nomine, hoc maleficæ abutuntur.

21 Lignum malcucenſe.

24 Ebenum leoninum.

25 Ebenum Sanctæ Mauræ.

26 Ebenum combuſtum.

27 Agaricum lignum rubeum, candidum, flauum.

28 Lignum camphoratum.

29 Lignum Garyopholinum, cuius cortex acredine garyophillos ſuperat.

30 Lignum nucis myriſticæ.

31 Lignum Braſilienſibus Tupana dictum, cuius cortex vim Tabacci in prouocanda ſternutatione ſuperat. Corteχque alter certi ligni, qui contuſus pollet virtute venereos ſtimulos reprimendi.

32 Cinnamomum verum, quod eques à Puteo dono dedit

res certè pretioſiſſima. Accipe, quæ *Solinus* de eo ſcripſerit in *deſcript. Afric. cap.* 39. Frutetum id, ait, ſitu breui naſcitur, ramo humili, & repreſſo, nunquam vltra duas vlnas altitudinis, quò gracilius prouenerit eximium magis dicitur: quod in craſſitudine extuberat deſpectius eſt, verum legitur per Sacerdotes hoſtijs primùm cæſis, quas cum litauerint, obſeruatur vt meſſis nec ortum Solis anticipet, nec egrediatur occaſum. Quiſquis Principatum tenet ſarmentorum aceruos haſta diuidit, quæ ſacrata eſt in hoc miniſterium, atque ita portio manipulorum ſoli dicatur, quæ ſi iuſtè diuiſa eſt radijs inflagrata incendium ſponte excipit. Rariſſimum fuiſſe ſuo tempore Galenus ſcribit, nec alibi conditum quàm in ſcrinijs Imperatoris. Conficiebatur vnguentum, cinnaminum dictum, de quo vide annotatiunculam *Phil. Bertaldi ad Apul. lib. 2. meleſia*: Verùm ſi de cinnamomo numeris omnibus abſolutam notitiam expetis tibi hanc ſuppeditabit liber cui titulus; *Spicilegio Batanico Dialogo di Baldaſare, & Michele Campi di lucuſtuam*. Spicilegium hoc pleniſſimè nutriet curioſitatem.

VASA EBVRNEA,
Quæ Manfredus Septalius maxima Toreutices gloria ingenioſiſſimis laboribus confecit.
Caput XLI.

1 VAS ouatum roſatum acuminatumque bipalmaris altitudinis.

2 Ouatum vas roſatum, cuius in centro acuminatus angulus. Herculi innititur nouercalem ſæuitiam, hic irridenti, qui & ipſe per bipalmarem baſim ſuſtentatur.

3 Ouatum vas roſati operis turgentes vndas perbellè referens, ſcalæ cochleari innititur.

4 Vas aliud ouatum roſatum acuti anguli in centro, angululique exornant latera, non leuis induſtrię tornatile opus.

5 Roſatum aliud vas tornatum, acuti anguli, micant in hoc frondes operis tornatilis, quos tamen cælantis induſtriæ labores credas.

6 Vas aliud rotundum bipalmare tornatum, tanta ſubtilitate vt papyrum ęmuletur.

7 Tornatum aliud vas in centro ouatum ſubtiliſſimum.

8 Vas aliud tripalmare roſatum, cuius latera eburneis pariter auriculis exornantur, quæ elegantiſſimè perforatæ ebori decorem addunt eiuſdem operis perforatæ baſi innititur, per quatuor pilas nucis mole, ſuſtentatæ, quę cum foraminibus varias figuras exprimentibus oculis vndique pręuuiæ ſint, diceres illas prægnantes pilarum vteros; quælibet enim ſeptem pillulas ſpinis horridas, ſinu complectitur. Tegumentum vaſis cochlearem ſcalam refert, cui in acutum terminanti pila incumbit, alijs pillulis duodecim grauida.

9 Simile aliud vas, ſed non tantæ molis.

10 Vas aliud tornatum bipalmare octaædron.

11 Magnum vas bipalmare ouatum tornatilis laboris, cuius cacumini eburneorum florum faſciculus inſiſtit, qui varijs tincti coloribus veros mentiuntur.

12 Vas aliud ſimile varijs exornatum floribus.

13 Vas magnum ouatum bipalmare, in cuius cacumine florum ludit faſciculus, qui peregrinis picti coloribus, vel in hyeme exhibent domeſticum ver.

14 Vas alterum à ſuperiori ob florum varietatem diſtans.

15 Vaſa duo ex ebore, & ebeno contexta, varijs exornata floribus, quibus propria ſubſunt nomina, ſed tantę exilitatis, vt oculos penè fallant.

16 Vas ouatè tornatum, ſuper quod ludūt vndæ bipalmaris altitudinis.

17 Aliud Vas ſuperiori ſimile, niſi vndis diſcriminaretur.

18 Alia duo ouata vaſa magna bipalmaria, tegumento, & baſi ebeninis.

19 Aliud ex ebore, & granatilla retortę ſuperſtans columnæ. Sed quandoquidem granatillæ incidit mentio lectorem monendum exiſtimo, ne verborum ſimilitudine deceptus, granadillæ tribuat, quod granatillæ dandum eſt, *Granatilla* enim Mexicana arbor eſt; *Granadilla* verò Peruana planta pulchritudinis eximiæ, cuius pulchritudini detur hoc: vt eius hic inſeratur deſcriptio ſubminiſtrat hanc *Ioannes Euſebius Nierembergius Hiſt. Natur. lib.* 14. *cap.* 10. *de Granadilla*. In Peruanis, inquit, montibus ſponte naſcitur Granadilla. Nomen hoc impoſuerunt Hiſpani ob ſimilitudinem, quam cum noſtris malogranatis habet, nam fructus eiuſdem fere eſt amplitudinis, atque etiam coloris, quando maturus eſt; niſi quod corona careat. Nunc in ſiccato, ſi agitetur ſonitum edit ſemen intus occluſum, quod pyri ſemini ſimile eſt aliquantò maius tuberculis quibuſdam eleganter elaboratum, & aſpectu iucundum, pulpa candida eſt ſaporis expers. Planta hunc fructum ferens hederæ ſimilis eſt, eodemque modo repit, & ſcandit quocumque loco ponatur, elegans eſt, cum fructu onuſta conſpicitur, propter eius amplitudinem; florem habet albæ roſæ perſimilem, in cuius folijs Paſſionis Chriſti figuræ delineatę conſpiciuntur, quas magna diligentia iſtic pictas exiſtimes; eam ob cauſam elegantiſſimus eſt flos. Fructus ipſe ſunt granatula iam dicta, quæ matura acidulo liquore abundant, & ſemine plena ſunt, aperiuntur vt oua, & liquor ille magna cum voluptate ſorbetur, cum ab Indis, tum ab Hiſpanis; nec etiam ſi multos ſorbeas, vllam ventriculi grauedinem ſenties, ſed potiùs aluum emolliri. Herba rara eſt, quæ dumtaxat vno in loco hactenus inuenitur, fructus temperatus eſſe videtur, & aliquantulum humidus. Lectionis eruditæ

condona

condona tędium lector dum muſæum deſcribitur licet epygramma inſerere.

Pulcher in America moſcho redolentior eſt flos,
Qui gerit occiſi nobile ſtemma Dei.
Conſcia flagrorum croceo ſtat in orbe Columna,
Circumſtant granis vulnera quina rubris;
Cum clauis reſidet ſpinoſum in vertice ſertum,
Reſperſus violam pingit vbique cruor.
Viſitur in plantæ folijs penetrabile ferrum,
Sacrum quo fodit lancea dira latus.
Sed quæ vulnifici flores dant poma cadentes
Ambroſius miſcet nectareuſque ſapor:
Portenti nouitas, & conſona rebus imago
Adſtruit antiquam clarificatque fidem,
Miſſaque Pontifici Romano circuit orbem
Fertque ſalutiferæ nuntia læta Crucis;
Nam Deus omnipotens noſtros tulit ipſe dolores;
Ipſius eſt nobis Crux Paradiſus. Amen.

Ioannes Laet deſcript. Ind. Occident. lib. 10. *cap.* 11. *huius meminit.*

VASA MEDIOCRIA, ALTITVDINE Palmum Geometricum ſuperantia, & quædam alia opera tornatilia.

Caput XLII.

1 EBurnea vaſa duo tantæ ſubtilitatis, vt quaſi diaphana appareant. Pyramidulæ his ſuperſtant ſubtiliſſima induſtria tornatę, quarum in cacuminibus cornuta ſplendet Hecate, auiſque expandit alas volatura.

2 Eiuſdem altitudinis vaſa duo elegantiſſimè tornata, vndas referentia.

3 Vaſa

3 Vaſa alia duo eburnea, quibus maximam addunt gratiam figuræ duę eburneæ tornatæ, quarum vna ſubſtat, altera ſuperſtat vaſi non eiuſdem magnitudinis.

4 Alia duo ſubtiliſſimè tornata.

5 Eburnea pila duodecim peruia foraminibus, huius ſinus 24. continet pilas, ex eodem fruſto, innititur baſi diuerſis ornatæ laboribus.

6 Altera pila ſuperiorem concomitatur baſi innitens varijs conſpicua artificijs, 18. pilas, ſinu fouens.

7 Pila ouata octo pertuſa foraminulis, ex quibus ſpinę octo exeunt; triangula, ſed obtuſa baſi ſubſtentata.

8 Eburnea pila, cuius diameter vnius vnciæ ſupra tres quadrantes exiguis quatuor peruia foraminulis, per quę oculus ſubiens, pyxidiculas duas oſtendit roſatas ſuis cum teguminibus; quibus inſeri poſſunt effigies. Baſis ſuſtentans varijs ſed elegantibus eſt tornata laboribus, mediat tamen inter baſim, & pilam Atlas, labores vel in Muſæo ſuſtinens mauritanos. Baſis altera perexigua, pilæ implantatur, cui pillula incumbit vndique foraminibus peruia, mortem occultantibus, & oſtendentibus: coronat opùs armata Pallas, ne tam induſtrioſum opus, vel fuga temporum perimatur.

9 Pila altera ſuperiorem æmulans, vnam tantumodo pyxidiculam gremio fouet; ſed inſignem nam elegantiſſima figura inibi inciſa conſpicitur.

10 Magnum vas eburneum diametri triuncis ſupra dimidium, zona vndique perforata coronatur, tribus alijs cingitur zonis vaſis corpus, ſuper quas Arabici characteres leguntur. D. C. M. Laudantes, magni Magor nomen exprimentes, nempe Eccabar vnà cum Ciuitate Agra dicta, in qua fuit confectum opus.

11 Vas aliud palmare eburneum eadem in regione elaboratum.

12 Indici

12 Indici duo cochi in vaſa expoliti, baſibus ſuis innitētes.

13 Alij duo cochi flaueſcentes in vaſa efformati, qui admirandum in modum expoliuntur. Mittit hos Inſula Occidentalis, quam nuperrimè Olandici Argi detexere.

14 Altera vaſa duo ex coccis, eburneis innitentia baſibus.

VASA LIGNEA MAIORA, ET QVÆDAM alia opera tornata. *Caput XLIII.*

1 OVatum vas magnum ebeninum, cui alterum innititur pariter ouatum proportionato coronato artificio.

2 Alterum magnum vas Granatiliæ inæquali tornatura, quæ maximam tornandi exigit induſtriam.

3 Vas ouatum, cui alterum innititur ouatum roſatum, iſti autem cochlearis ſcala ſupereminet opus buxeum eſt confectum, vt equitis increduli peruicacia expugnaretur, aſſerentis talia opera ex Germania afferi quaſi vero Itali, cum magis fobrij ſint, non maiori ingenij acumine opera conſpicua edere poſſint.

4 Buxea pila 14. peruia foraminibus ſexdecim continens pilas, ſuperſtat huic cochlearis ſcala buxea.

5 Triginta duobus peruia foraminulis pila buxea ſeptem pilas ſpinis horridas continens, cerebroſa innititur baſi, triplici enim tornatura inſignis eſt cochlearem ſuſtinēs ſcalam tantæ exilitatis, vt vel leuiter mota inflectatur ſuper huius apice ſplendet cornuta Hecate, totum opus, bipalmarem æquabit altitudinem.

6 Altera ſuperiori ſimilis, ſed inferioris altitudinis, induſtrioſiſſimarum Septalij manuum hæc ſunt opera concelebranda.

OPERA

OPERA AVGVSTÆ VINDELICORVM Tornata, quæ nonnulli amicitiæ vinculis vincti dono dedere. *Caput XLV.*

1 TRes nuces myriſticæ formant pulcherrimum vaſculum, ſua baſi innixum, floribus vndique coronatum. Clauditur tegmine viridarij æmulante, cum flores eburnei eximij operis vndique fulgeant. Tollitur ſuper iſtos Sanctiſſima Crux, in qua Chriſtus flos amoris moriturus languet, Angelis duobus adſtantibus, quos ab aere ſuſtentatos credas, qui Sacratiſſimum diuinarum manuum cruorem eburneis calicibus excipiunt. Luget ad Crucis calcem Magdalena, dilectuſque Ioannes dolore fixus heret.

2 Adeſt vas alterum ſuperiori ſimile.

3 Eburnea cauea, in qua ſunt auiculæ nonnullæ. Hac in efformanda quantam Artifex tulerit patientiam iudicent, qui opus viderint, à me enim vel ſolummodò contemplanti effugit patientia.

4 Granum piperis in vas tornatum alta baſi innixum, continet huius perexigua cauitas, magnum auditu, tercentum viginti pocula elegantiſſimè elaborata.

Superſtat armatus ſignifer inſidens equo, opus eſt altitudinis palmaris ſupra dimidium. *Legi Adrianum Iunium*, ſpectaſſe, non ſine magna animi voluptate Machliniæ nobili Brabantiæ oppido ceraſi calculum in modum puſilli excul-ptum; quo continebantur quindecim alearum paria, ſuis punctis affabrè diſtincta, ita vt acie oculorum dignoſci potuerint clarè. Adi commentaria *Salmuth. ad Pancir. tit. de Horolog. part. poſter.* nec non *Petrum Senicum de ocultis artis, & nat. miraculis.*

5 Rhombus Germanicus ſumma induſtria elaboratus.

6 Bipalmaris ſcala cochlearis, qua non altera cerebroſior, per eburneam ianuam patet in ſcalam aſcenſus, cuius gradus varijs figuris, aſcendentibus, & deſcendentibus occupantur, quæ nè exilitate occultentur, à coloribus, quibus nitent, patefiunt; terminat ſcala in montem, quo natura non fuiſſet enixa pulchriorem, criptis horret, domunculis exornatur, argenteis alluitur, riuulis, alibi peruius, inuius alibi, hinc amenæ planities, in quarum vna equum cum dracone ſingulariter dimicantem intueris, nec non flexam genibus mulierem, quæ Cœlos ſuſpicit precabunda; columnæ innititur mons, quem ſcala vndique circumambit.

7 Eburnei duo cadi Amſtelodamenſi in vrbe tornati, multis compacti interſtitijs, ex quorum vno extrahis magneticam pyxidem, ex altero lunare horologium, ex altero ſolare, plurimaſq; alias curioſitates.

8 Lignei crateres quatuor ex Germania, quorum vnus crateres centum continet; papyro ſubtiliores, alteri octuaginta duo, quartus verò ſexaginta.

9 Pyxidiculæ tres, quarum vnaquæq; viginti quatuor exiliores continet ſucceſſiuè vna alterius ſinu recipitur, itaut vltima, vel pulici tumulando non ſufficeret: ſed induſtrioſi laboris non hæc meta, è ſeparatis enim, & diuerſicoloribus, vt ita dicam atomis ſunt compactæ, vt intuentem quemlibet rapiant in admirationem.

SVBTILES FILI A SEPTALIO TORNATI, vnà cum vaſculis. *Caput XLVI.*

1 EBurneus filus bipalmaris.

2 Subtiliſſimus alter colli vicem ſubire potens vaſculi cacumen ornantis, cui inſunt luſorij latrunculi.

4 Quatuor fili collum componentes diuerſi operis.

4 Vaſ-

4 Vaſcula duo eburnea tornata rotunda, curioſa, ex eo quod ſubtiliſſimi operis entia, cornutæq; Lunæ illa exornent.

5 Vaſcula duo altera diſſimili tornata, induſtria, quorum ornamenta ſubtiliſſimi operis ſunt, varijque flores in cacumine micant.

6 Altera duo ſubtiliſſima tornata.

7 Betulę nodoſæ Gronlandicę vaſa duo admirandis tegu-minibus propter ſubtiliſſima ornamenta.

8 Altera duo eiuſdem ſubiecti, ſed magis exigua.

9 Duæ nuces myriſticæ germanarum æmulę, ſubtiliſſimis eboris filis iunctæ, ſed minoris molis, quarum ornamenta adeò ſubtiliſſimè ducta ſunt, vt capillos ſuperent vni ſuperſtat tubicen, alteri ſignifer.

10 Alteræ duæ pyramidalibus ſcalis exornatæ.

11 Braſilienſes Caſtaneæ duę in vaſa efformatæ ſuis innixę baſibus, ſubtiliſſimis ornamentis conſpicuæ.

12 Cocculi S. Elenæ, ſiue indici fructus ebore vincti ſubtiliſſimis operibus exornati.

PYXIDES, ET VARIA ALIA DILIgenter torno elaborata. *Caput XLVII.*

1 PYxis maxima eburnea ouata tornata.

2 Altera pyxis tornata ouata pulchrarum imaginum conſeruatrix.

3 Altera Solare horologium conſeruans.

4 Horologium aliud Solare pyxidi inexiſtens, quòd ex ſe vergit ad Septentrionem.

5 Lignea altera duo horologia ſemicircularia, quibus in tornandis labor admirandus.

6 Magnæ duę pyxides eburneę rotundę, quarum vna, ſacrarum reliquiarum pretioſum receptaculum, & in tegmine Floren-

Florentina Annunciata rariſſimè miniaturæ adoratur.

7 Ebeni Leonini magna pyxis ouata, palmaris diametri, auro pretioſior, in hac enim latent artis, & naturæ miracula. Licet hic ſacra Medicinę celeberrimi illius Mediolanenſis Æſculapij Ludouici Septalij ora penè viuentia venerari, quę vtique loquerentur ni maieſtatem, quàm præſeferunt ſe violatura dubitarent; heroibuſque fas non eſt, non pares alloqui. Hoc naturæ miraculum æternauit ars, vel cum hoc naturæ miraculo ars pictrix ſe immortalitati conſecrauit, quem natura mortalem pepererat, fœminea dextera, quòd magis ſtupeas, immortalem fecit, vt non niſi geminatis miraculis liceat Ludouicum Septalium intueri. *Fidei Gallitiæ* pictricis inſignis eſt opus, Zeuxis verè æmulatricis, æternitati pingentis, hoc dum *Padler* peregregius aurichalci inciſor intueretur, actus furenti admiratione. Faxint Dij, inquit, mè nè pingens mulier ſuperabit? quapropter vel artem ipſam incidendi exanimauit, vt animatas redderet Ludouici Septalij vmbras, cui Pallium debeatur adhuc ſub iudice lis eſt, vnicuique tamen par præmium ſtetit nempe gloriæ immortalitas.

8 Ouatæ duæ alteræ ex granatilia, quibus inſunt amicorum effigies.

9 Eburnea altera, cui Manfredi Septalij miniata ineſt effigies per Monachum Oliuetanũ, in miniatura, primæ notę virũ.

10 Principis Tranſiluani effigies pyxidiculæ ineſt cerea, medij operis anaglyptici, ſed viuis expreſſa coloribus veſtibuſque prout Tranſiluani vtuntur.

11 Pyxidicula altera, nobilitata cerea effigie Ludouici Septalij, opus *Milani* celeberrimi ſculptoris vt venerandum Senem ære æternaret.

12 Theca reliquiaria ouata, quam ebenum ebori viciſſim commiſſum conſtruit. Opus equitis, *De torno* archinuentoris, Ambroſini dicti.

13 Al-

13 Altera reliquiaria Theca ex ebeno, & ebore eiuſdem Auctoris.

14 Altera eiuſdem Auctoris Palmaris ouata Theca reliquiaria, quam vincientes argentei flores exornant. In aere libratus occupat partem vnam Saluator Ciuitati ſuperſtans, tamquam Iuppiter ſoſpitator, nitent ad huius latera effigiunculę optimæ miniaturæ.

15 Duæ ad centrum ouatæ, quibus nunquam laudata ſatis *Cerani*, Pictoris inſignis opera ſeruantur. Cerani Mater vnà cum cara Coniuge in vmbris viuunt.

16 Matrona ab Inſigni Pamphilo, delicatiſſimi vultus, in ouato viuit coloribus æternata.

17 Eburneus Clyſterculus, admirandæ ſubtilitatis: infuſa aqua molleſcit, tamquam papyraceus.

18 Eburneæ duę cucurbitulæ nicotianę naſi libidini ſacratę, Amſtelodami elaboratæ.

19 Nitrati pulueris eburnea lagena, varijs tornata modis, aureiſque vincta filis ex Amſtelodamo.

20 Zizarinum vas pyxidiculaque opus equitis *De torno*.

21 Eburnei limbi decanguli auream laminam coronantes opere encauſtico, ex vtraque facie conſpicuam. Refert vna Chriſti Domini Natiuitatem, trium altera Magorum Theolatriam repræſentat.

22 Pugna ex encauſtico, celeberrimi opificis opere, eburneo coronata limbo, cui limbulus alter aureus intexitur.

23 Nicotianę pyxidulæ eburneæ variæ.

24 Sigilli eburnea anſa roſatè tornata, in cuius extremo nautica pyxis lunareque horologium.

25 Alterum eburneum manubrium varijs curioſitatibus expolitum.

26 Vas Magdalenę è candidiſſimo Hippopotami dente.

27 Baſis, cui eburnea vaſa tornata triangularia innituntur:

caput

caput mortuum eburneum coronat vaſa, partim cranium referens, partim vermibus ſcatens.

28 Eburneum teleſcopium roſatum, vnà cum quatuor cannulis à Septalio tornatis.

29 Ebeninum alterum Teleſcopium tornatum operis latruncularij per Septalium confecti.

30 Altera Teleſcopia quatuor Venetijs elaborata.

31 Varia microſcopia ingenioſa Septalij opera ſemunciam, vel vnicam, longitudine non excedentia, vel eburnea, vel ex exoticis lignis tornata.

32 Microſcopia vnico vitro obiectum, ſupra quodlibet microſcopium amplificantia, initique fuere nonnullorum equitum labores, vt Septalium in certamine curioſo microſcopiorum ſuperarent.

33 Eburnea alia microſcopia, quibus capillorum inſpicis foramen perexiguum.

34 Pyxidiculæ tornatæ Sereniſſimo D. D. D. Ioanne Auſtriaco paruam domum. S. Nazarij inuiſente, in qua funditur, tornatur, ingenioſaque mechanica floret. Didicit hic Sereniſſimus eccentice Tornare. opus ab ipſo ſummè expetitum, ſed nullibi viſum.

35 Pyxidicula ouata, in centro tornata.

36 Pyxidicula fructuum repræſentans.

37 Pyxidicula ouata roſata.

38 Pyxidicula tornata ouata, tergiuerſata, & quidquid tornatilis laboris adinueniri, excogitari poteſt nihil hic deſideratur. Si Sicyonius Polycletus reuiuiſceret, demptas ſibi Toreutricas glorias hic lacrymaretur.

MINVTISSIMA QVÆDAM TOREVMATA.
Caput XLVIII.

1 CVrrus duo à Manfredo fabrefacti quatuor ducti equis, quorum vni inſidet auriga, elegantiſſimis mulieribus inexiſtentibus totum hoc opus tegitur apis ala.

2 Perexiguæ bombardæ duæ eburneæ, à Septalio conflatę.

3 Piperis granum tornatum, cui luſorij inſunt latrunculi.

4 Eburneum ceraſum cum ſuo naturali nucleo. Exterior ceraſi facies ſuſtinet centum cadauerùm facies elegantiſſimè inciſas, nucleus verò interior latrunculos condit luſorios. Hæc erant Septalij oblectamenta, dum piſana in academia animum altioribus ſcientijs erudiret.

5 Funeſtiſſima Caluarij montis tragędia, cujus actores ſunt, Chriſtus, Latrones duo, Longinus equo inſidens lancea armatus, icta doloribus Beata Virgo, Magdalena, & S. Ioannes. Inter alterutras Cruces, longe veluti proſpectus patet in Vrbem Hieroſolymæ æmulam. Totum hoc opus, quod geminatum adeſt, minimi digiti vnguem non ſuperat.

6 Inſidens equo armis vndique cinctus, Diuus Georgius lanceà draconem configens, adſtante Reginę ſimulacro, opus buxeum non niſi lynceis oculis patens.

7 Crucifixi duo cum Beata Virgine, & S. Ioanne, eburneus vnus, alter buxeus, tranſeunt omnes per foramen acus.

8 Camelus tranſiens per foramen acus.

9 Eburneus alter Camelus, cui ſubiacent 40. armati viri ex oppoſito dimicantes, tranſeunt omnes per foramen acus.

10 Currus, quatuor ductus equis, vnà cum venatoribus, canibuſque omnibus per foramen acus tranſeuntibus.

VARIA

VARIA SIMVLACRA.
Caput XLIX.

1 PAlmi geometrici altitudine, leonino inciſus Ebeno Africanus, inditis eburneis dentibus, oculiſque, eburneæ bracteæ, rubei coralli puncticulis aſperſę, brachia exornant, linorum vicem ſupplet ebur ſubtiliſſimas plumas æmulans, eburneum gerit dextra telum, ebeninum arcum altera gratiosè apprehendente.

2 Sanctus Michael ex ebore draconem interimens ſua baſi innixus.

3 In buxo Polonus Dux inciſus. Opifex qui Africanum inciderat, hunc quoque ſculpſit, vir certè in eiuſmodi operibus virtutis eximiæ.

4 Alter Dux Cerebroſo Gallorum habitu, eburneis plumis pileum ornantibus, inſignis patientiæ labor. Quatuor alię figuræ ſemunciales hunc concomitantur.

5 Vt Gallici Ducis ſupra deſcripti voluptatibus conſulam, appono hic tubulum, per quem Nicotianæ fumus hauritur opus Aliacrap olim mancipij, D. Manfredi Septalij, vbi Nicotiana reponitur nitet eburneis dentibus leonis os, linguam exerens coralinam, tubuli medium circumambit ſerpens, qui elato capite eburneorum dentium rictu minitabundus leonem intuetur hic tubulum firmat, & ornat.

6 Herculis Farneſiani cubitalis prototypus.

7 Cubitalis Venus opus Preſtinari.

8 Mars cubitalis, quem ferociori aſpectu numquam intuiti fuere flagrei Gigantes, pugnas, & certamina ſpirans cogit intuentes exclamare, hic eſt Deus pugnarum. Quanta fuerit ſcalpentis Gaſparis Viſmaræ virtus hinc arguas lector, longam hic contexerem panegyrim, niſi illius opera æternitati

fabricata illum imortalitati conſacrarent.

9 Prototypus ſtatuę Diui Caroli Borromei, Rhodian' ęmulæ coloſſi ſupra montem Aronenſem erigendæ, altitudinis erit triginta ſex cubitorum, opus erit ex aurichalco inauratum.

10 Cubitalis Neptunus ſicci incomoda ægrè ferens.

11 Bipalmaris Venus, opus Ioannis Bononiæ.

12 Pueruli quatuor eiuſdem Auctoris.

13 Cerei Pantomimi quatuor, opera Cormani.

Ludouici Septalij Caput, vnà cum pectore. Viuit lapideus, qui exenterauit ipſoſmet lapides, vt labilem hominum vitam produceret.

14 Altera eiuſdem effigies, Andreæ Biffi opus ſculptoris celeberrimi.

15 Ridiculam quam Zeuxis pinxerat vetulam, hic ſcalpſit ſculptor eximius, pari artis laude, ſed diſpari euentu.

16 Marmoris fruſtum, ſepulcrum exornaturum Gaſtoni *de Fois*, bellici fulminis, Gallorum decoris, Romanorum timoris, ab Hiſpano milite Glorioſiſſimè dimicantis in Bononienſi victoria interempti, cui inciſa militaria inſtrumēta pietatis ſensū, vel in marmore exprimunt; tanto Duce extincto Magni Alexandri celeritatem bellicam ſuperante. *Vide Guiciardin.*

17 Marmoris cariarenſis duæ ſepulcrales ſtatuæ, Gaſtoni *de Fois* mauſoleo deſtinatæ.

18 Statua, claua armata Zoon humeris ferens.

19 Heros Thebanus pugnans.

20 Cararienſis marmoris figura eximia, ſedens, filiolis duobus, vlnis adhærentibus.

21 Dantus gypſeo pectore.

22 Philippus Secundus gypſeus, Seniorum Hiſpaniæ Regum gloria, Iuniorum decor æmulandus, tanta erat nominis fama, vt Indicis Regnis ſola auctoritate frænum ſeruitutis

inijce-

inijceret, hoc fatente Petro Matthęo eruditiſſimo, Henrici Quarti Gallorum Regis Hiſtoriographo.

22 Buſtum cum capite, ex antiquo deductum.

23 Gypſeus puerulus vrinam fundens.

24 Gypſea capita, ex antiquis Romanis deducta.

25 Ænea ſtatua ſpinam extrahens.

26 Ænea Venus nuda, laſciuè molis, licet ænea.

27 Æneum ſimulacrum gladiatorem referens.

28 Canis, & Tigris cerea.

29 Cereæ figuræ quatuor puſillæ, opus Biffi.

30 Annibalis Fontanæ, in Cœlum Beata Virgo aſcendens, prima vice excepta, nunquam glorioſiùs aſcendit.

31 Candidæ Cerę Imperator. Plaſtes fuit Pictor Biffus.

32 Sanctus Ioannes, Sanctuſque Paulus ex ligno, vnum Torini, alterum Galdoni opus.

33 Cerei quatuor Apoſtoli; extitit Plaſtes Biffus.

34 Pontificio indutus habitu Sãctus Carolus Borromeus. Biffi Prototypus ære mollito nitens, baſi innitens quem vitrum tuetur è temporum Iniurijs.

35 Pueruli duo Zonis elegantibus cincti oculis vitreis, loquerentur vtique ni tenella ętas ſyllabarum impediret expreſſionem, ingenioſus labor induſtrioſi Septalij.

36 Cerei alteri duo Pueruli elegantiſſimi, tam viuo carnis colore, vt viuos mentiantur ſua adeſt vnicuique Cæſaries calamiſtrata pulcherrimè, altero fingente ſomnum, altero ludente. Prototyporum vnum edidit Buſſola, alterum verò inſignis Flander, ex quibus typos hoſce non minori Induſtria Manfredus deduxit.

37 E ligno puerulus arte inciſoria eductus, coloribus tam bene depictus, vt viuum æmuletur, iunctas habet manus, quibus cerea accenſa candela inditur, quam leui flatu extinguit, vel rota illis impoſita exſuflatu continuò circumagitur.

38 Idola tria ſepulcralia, quæ Ægyptij mumijs alligabant hyeroglificis vndique plena.

CVLTRI SINGVLARES.

Caput L.

1 TVrcicus culter magnus pulcherrimus, Cuius lamina, alteri cultro vaginæ inſeruit, ex quo tertium quoque educis. Sic laminæ vaginarum vicem, ad inuicem ſubeunt, dono dedit Excellentiſſimus Princeps Landus.

2 Adeſt Theca cultellaria tribus tunicis, & damaſchinis cultris inexiſtentibus, quam dono dedit Ioannes Ruſcellaius Florentinus Eques.

3 Culter Perſicus, ſiue magni *Moghol.* Nota qui ſcribunt Mogor, malè ſcribere, dicitur enim moghol è mogolina Tartarorũ ſtirpe, qua Imperator Maximus fluxit. *Vide Perſicum itinerarium Petri de Vale litter.* 3. *Spahan*, cuius manubriũ, candidiſſima corneola diaphana conſtituit, auro vndique cincta, rubinis ordine pulchro micantibus, laminæ vna facies characteres Arabicos continet, altera verò Arabicis frigiata operibus nitentibus auro. Aureæ laminæ ſolidæ vaginam ambiunt, rubinis, granatis, turchoidibuſque diuites, dono dedit Princeps Stanislaus Lubornischi Polonus.

4 Indicus alter culter damaſchinus, cuius manubrium orientalis amethiſti.

5 Culter alter damaſchinus, cuius manubrium ex achate Sardonico.

6 Turcicus alter damaſchinus Conſtantinopolitanus.

7 Culter Anglicus, cuius manubrium aureum opere fulget encauſtico.

8 Culter, cuius lamina damaſchina, Mogholenſis *Agrà* in vrbe metropoli Indiæ confectus, cuius manubrium orientalis

talis ixiadæ turchoidibus fulgentis. Characteres mogholenſes leguntur in lamina ſignificantes nomen Dei. O. M., Imperatoris *Eccabar*, Ciuitatiſque.

BALSAMA ORIENTALIA, & Occidentalia. *Caput LI.*

1 OBdurati Balſami occidentalis ſuauiſſimum odorem ſpirantis plena cucurbita ponderis vnciarum 26. ſi ortum ſcire cupis ex *Ioanne Laet excipe lib.* 5. *cap.* 2. Arbor, inquit, magnitudine aurantij mali folijs amygdali, ſed maioribus,& acutioribus. Fert flores flauos in extremitatibus ramorum folijs longis, & anguſtis, in quibus certa ſemina incluſa reperiuntur ad fuſcum colorem vergentia. Cortex huius arboris quauis anni tempeſtate; ſed præcipuè cum pluuiæ deſinunt, inciſus effundit notiſſimum liquorem, colore fului vergente ad nigrum, ſapore acri, & nonnihil amaro, odore vehementi, ſed gratiſſimo. *Vide Monard.*

2 Cucurbitulæ alteræ duæ balſamo occidentali plenæ.

3 Cocculi tres ex India oriẽtali, orientali balſamo repleti.

4 Balſamum de *Tolù*: quæ *Ioannes Laet lib.* 8. *cap.* 15. *ex Monardis Hiſt. ſimpl. Medica, cap.* 10. extraxit lectori curioſo exhibeo. Ab hoc loco præſtantiſſimum illud Balſamum, (quod vocant de Tolù) Europæ importatur, quod à Monarde *in Hiſt. Simpl. Medicam.* Ita deſcribitur. Nunc recens aduehitur ex continentis quadam prouincia inter *Cartaginem, & nomen Dei* ſita. *Tolù* ab Indis appellata balſami quidam liquor maximarum virium præſtantiſſimumque, quod hactenus ex ijs regionibus allatum ſit medicamentum, arbores, è quibus colligitur pumilis piris ſunt ſimiles, multos ramos quàquà verſùm ſpargentes; foliaque ceraſi ſimilia obtinentes, perpetuò virentia: præferuntur domeſticæ, & in cultis natæ.

Colligunt verò hunc liquorem Indi, vulnerato,& inciſo arborum cortice, qui tenuis, & tenellus eſt,ſuppoſitiſque, & arbori adnexis veluti quibuſdam cochlearibus, è cera nigra in illis regionibus nata confectis, quæ manantem è vulneribus liquorem excipiant, quem deinde in vaſcula ad eam rem parata effundunt. Id verò feruentiſſimo Sole fieri neceſſe eſt, vt liquor faciliùs emanet, nam noctù, ob frigiditatem nihil effluit erumpit etiam interdum ex ipſis arborum nodis,& alis nonnihil liquoris, qui cùm exiguus ſit, & in ſolum decidat perit, Porrò apes quæ ceram iſtam conficiunt nigrę ſunt, eamque in terræ hiatibus, & cauernis ſubterraneis elaborant: ceræ fumus tetrum ſpirat odorem, perutilia tamen ex ipſa fiunt cerata, ad mitigandos dolores ex quauis cauſa frigida prouenientes, cæterùm balſameus hic liquor, colore rubro eſt ad aurum tendente mediæ inter liquidum, & denſum conſiſtentiæ, glutinoſus admodum, & vbicumque reponatur firmiter adhærens, ſapore dulci, & grato, nec ſi ſumatur nauſeam mouente, odore excellentiſſimo, & limonum fragrantiam quodammodo referente, ita vt vbicumque ponatur celari non poſſit.

Eius facultates inſignes ſunt, curat enim omnia recentia vulnera; conſolidat glutinatque labra, nec materiam purulẽtam in ijs ſinit exoriri; quodque maius eſt nullum cicatricis veſtigium curatis vulneribus relinquit, ſi illorum labra probè iuncta fuerint; quapropter in faciei vulneribus ſingulare eſt quãdoquidem ea ſine purulentæ materiæ generatione curat, nec veſtigium vllum relinquit.

Præſertim verò vtile eſt in vulneribus, in quibus confracta ſunt oſſa, exemptis priùs fragmentis, quæ ſeparata ſunt, & reliquis intactis, nam balſami facultas ea expellet, vulnuſque ſenſim conſolidabit. Miræ etiam virtutis eſt in articulorum vulneribus, & neruorum ſectionibus, omnibuſque puncturis, nam curat eas, liberatque à contractione, ne partes inutiles,

fiant,

fiant, & motu priuentur, denique vtile eſt, in omnibus quæ Chirurgi manum requirunt, modo nulla adſit inſignis inflammatio: ea tamen conuenientibus remedijs ſublata, balſami eſt vſus; aliquot illius guttæ ex vino albo hauſtæ plurimùm iuuant in aſthmate, capitis dolorem è frigida cauſa prognatum lenit lineus pannus eius liquore tinctus, capiti circumligatus, Temporibus appoſitum cohibet omnem defluxionem, præſertim in oculos, eorumque dolores leuat: præcalidum cerebro impoſitum tollit dolorem, roborat, & paralyſi eſt remedio, vſi ſunt eo nonnulli phtiſici mane aliquot guttas, è manu lambendo, magnumque ſenſerunt commodum, quia purgat egregiè pectus. Longa experientia apud Indos probatum eſt eos, qui hydropicorum in morem tument, ſi hoc balſamo equis partibus cum vnguento aperitiuo mixto ventrem illinant, lienis præſertim regionem magnum ſentire leuamen, reſoluit enim quoſuis tumores, & ędemata cuiuſque partis corporis: tollitque emplaſtri modo applicatum, omnes dolores à frigida cauſa promanantes etiam diuturnos. Hæc & plura *Monardes*.

5. *Liquidambar* fragrantiſſimum inter cęteras reſinas primum ſibi vendicans locum *Ioannes Laet* ſic habet *in deſcript. Ind. Occid. lib.* 5. *cap.* 2. arbor quæ reſinam hanc exſudat à mexicanis appellatur *Xochiocotzol qua Xihuitl*, eſtque admodum vaſta. Folia illius ſunt ſimilia laricis folijs, duobus finibus in tres angulos diuiſa, vna parte candicantia, altera obſcurè virentia, & vndique ſerrata: cortex trunci, & ramorum partim viridis eſt, & partim rubicundus, eo vulnerato emanat reſina, ſiue liquor, quem Hiſpani vocant *Liquidambar*, Mexicani *Xochiocotzol*, quæ ſuauitate odoris accedit ad ſtoracem: eſt calida in tertio gradu, & ſiccandi facultate prædita, foris applicata refocillat ventriculum debilem, corroborat cor, conciliat ſomnum; ſuffitus illius ſedat dolores capitis è cauſa frigida natos; eſtque ſingulare remedium aduerſus ſpaſmum,

& affe-

& affectus vterinos, ſi plura deſideras adi *Nicolaū Monardem.*

6 *Copal*; *Ioannes Laet cap. ſupracit.* inquit, Barbari autem nouę Hiſpaniæ, & in primis Mexicani communi nomine omnes reſinas odoratas, & gummi, vocant *Copal*, & varias illarum ſpecies peculiaribus diſtinguunt agnominibus; plures enim ſunt arbores, quæ huiuſmodi reſinas fundant, quas non abs re fuerit particulatim recenſere, vt differentia noſtris penitiùs innoteſcat. Primò itaque per excellentiam vocant *Copal*, reſinam candidam, & tranſparentem, quæ exſudat ex arbore, cuius folia ſunt ſimilia robori, ſed longiora, fructus rotundus colore ſubrubente, & eodem ſapore cum reſina, quę ex arbore manat interdum ſponte, interdum vulnerata; vocant Copal quahuitl, ideſt arborem, quæ fert Copal.

7 Thus Mexicanum, quod multi appellant *Anime*. Quid ſit excipe *ex eodem Laet capite eodem Tepecopalli quahuitl*, ideſt *Copal* montenſis, quæ eſt arbor modica folijs arbuſti, ferens fructus ſimiles glandibus, qui continent nucleum coopertum quadam ſaliua lubrica, & reſinoſa, intus candidum, & ad diuerſa vtilem. Exſudat hæc arbor reſinam admodum ſimilem thuri antiquorum, & vti creditur illius ſpeciem, quare ab Hiſpanis in America appellatur (*Incienſo de las Indias*), ideſt Thus Americanum, & à nonnullis, *Anime*, atque hoc ſibi voluit *Monardes*, qui diſtinguens inter copal, & animen dicit copal eſſe reſinam admodum candidam, & lucidam, tranſparentem, magnis fragmentis, & haud diſſimilem diacitro valde tranſparenti; animen autem eſſe reſinam albam vergentem ad colorem Thuris, & Copale magis oleaginoſam: Differre autem ab anime orientali quod hæc peregrina neque tam candida ſit, neque tam lucida. Huic inſignem virtutem tribuunt matricem loco motam reſtituendi.

8 *Tecomahaca*, excipe *ex Laet*, eius deſcriptionem *cap. ſupra cit.* tecomahaca vti corrupto paulùm nomine iam vulgo

appella-

appellatur; nam Barbari vocant *Tecomahiaye*, itemque *copal yhyac*, *& Memeyal quahuitl* ipſam arborem; eſt autem arbor grandis, folijs orbicularibus, & ſerratis: fert in extremo ramorum fructum exiguum, rotundum, rufum; plenum ſeminibus inſtar nucleorum cotonei mali; Planta eſt acris, & mordax odorifera, cum adſtringendi facultate, ex hac interdum ſponte, interdum vulnerata, emanat reſina iam omnibus nota, quæ eaſdem facultates obtinet cum antecedentibus, quidam myrrhæ loco vſurpant: ſedat dolores, è flatulenta materia ortos; diſſoluit tumores lentos, & viſcoſos, vtero autem adeo amica eſt, vt prunis impoſita, & naribus appoſita, ſtatim laborantibus ſuccurrat, vmbilico applicata retinet menſes immoderatè fluentes, corroborat matricem, eamque ſeruat ſuo loco. Dentium concauitatibus indita, ſedat dolores eoſque liberat à putredine, denique præſtantiſſimum eſt remedium aduerſus omnes affectus è cauſa frigida.

9. Gummi lacha, cuius arbor fundens dicitur: *Trinacan cuitſaquahuitl*.

10 Gummi Gutta.

11 Sanguis Draconis. Frequens arbor in Hiſpania noua hunc fundit, cuius nomen ezquahuitl *deſcrip. Ind. orient. cap. ſupra cit. Ioan. Laet.*

12 Benzoin.

13 Stirax.

14 Olibanum.

15 Maſtix.

16 Opobalſamum Indicum.

17 Opobalſamum Peruanum.

18 Balſamum copauienſe.

19 Opobalſamum peguanum.

20 Opobalſamum durum, & odoratum.

21 Draconis puriſſimus ſanguis orientalis Teneriffæ.

22 Dra-

22 Draconis ſanguis orientalis.

23 Gummi Guaiaci.

24 Pix cedria.

25 Nigrum Bezoin pręter tres alias ſpecies.

26 Lacrymæ diuerſæ Americanæ.

27 Gummi Gariophillorum.

OLEA, A SEPTALIO EXTRACTA Lucernæ ope. *Caput LII.*

1 OLea inter aeris, & ignis naturam ambigunt, & quò acriora ſunt eò magis ignea; quò minùs acria eò magis ætherea, & aerea cenſentur.

2 Oleum cannellæ.

3 Oleum Gariophillorum candidiſſimum.

4 Nucis myriſticæ triplex oleum. Primum ſpiritus aquæ in morem pellucidus, ſecundum oleum in flauedinem inclinans, tertium commune per expreſſionem.

5 Oleum ligni Rodij elegantiſſimum.

6 Oleum roſeum per macerationem pretioſum.

7 Duplex karabe oleum album vnum, alterum flauum.

8 Ambari candidi oleum pretioſiſſimum.

9 Oleum cedri.

10 Eſſentia citrata.

Limonum	) Roſarum
Aurantiorum	) Ambari
Foliorum aurantiorum	) Muſchi.

11 Oleum Cupreſſi.

12 Oleum ligni ſancti.

13 Oleum cinnamomi veri auri pretio æquiparatum.

14 Oleum cornu naſi rhinocerotis.

15 Oleum mille florum Romæ cũ amygdalis diſtillatum.

16 Oleum

16 Oleum accaciæ.
17 Oleum Violatum.
18 Oleum Iunchiliarum Hiſpanienſium.
19 Oleum Hyacinthi Tuberoſi.
20 Oleum Alexipharmacum.
21 Oleum *della Spagnuola* dictum, varijs modis compoſitum, variaque alia olea diſtillata.

EXTRACTA DIVERSI GENERIS.

Caput LIII.

1 EXtractum Vincetoxici)
2 Polipodij)
3 Sennæ)
4 Rheubarbari)
5 Antoræ)

Scire cupis conficiendi modum adi *Philippum Mullerium*, *vel ſerodanum*, *Beguinum*, vel innumeros alios chimicos.

6 Opij.
7 Sanguinis hircini.
8 Quinta eſſentia foliorum aurantiorum.
9 Seminum limonum.
10 Citratorum.

SALES DIVERSI.

Caput LIV.

1 SAl Coralliorum.
2 Vnionum.
3 Argenti Philoſophorum.
4 Auri Philoſophorum.
5 Sal diſcreticus.
6 Flos antimonij Balbiani.
7 Antimonium hyacintinum.

8 Miſeri-

8 Miſericordia Dei, alijque ſales quam plurimi, ſi cupis modum extrahendi è quocumque vegetabili ſalem, adi *Tyrocinium chymicum Beguini*, *vel ſoliloquium Philippi Finellæ*.

DE AMIANTO.

Caput LV.

1 IGnem potentiſſimum illud naturæ elementum omnium producens, omnia reſoluens, tenuiſſimó filo præpediri, & triumphari, quis crederet? Irridet violentas Vulcani iras Amiantus, quique, vel marmorum deuictorum cineribus immoritur, amianti filo implicitus, ſub comburendi onere priùs ipſe fatiſcit, quàm noxam amiantus pręſentiat. Pereunte hìc inexplebili illa ignis voracitate, rerumque omnium amiantus diſſimilis, fuligines, & nigredinem ex igne contrahentium, lucidiſſimus ex flammis euadit, hoc igni debens quod ſi fuerit aliqua macula infectus per ipſum candori nitentiſſimo reſtituatur. Hinc eſt quod Greci dixere ἁμίαντον quaſi impollutum à verbo μιαινω præpoſita vocali .α. quæ vim habet negationis, vnde μιαινω cum ſit idem, ac polluo α præpoſitó notat non polluo. *Vide Vlyſ. Aldr. Muſ. Mettal. lib.*4. *de ami. cap.* 25. ex quo lapidis accipe deſcriptionem. Reponitur, inquit, amiantus inter lapides ſciſſiles, quorum corpus totum veluti ex lineis contiguis ſit compoſitum, vt in generibus aluminum, ſalis ammoniaci, & hæmatitum obſeruatur; hæc enim omnia antequam in filamenta reſoluantur compagem ſimilem præſeferunt: quandoquidem ſi diligenter totum lapidis corpus cõſpiciatur, inſtar ligni fibroſum, & veluti ex lignis contiguis compoſitum apparet; quin imò ſcatet quibuſdam capillamentis lanuginem quãdam exprimentibus, in quæ attritione facta facillimè reſoluitur, quo circa ad mentem Strabonis, hic lapis excuſſa terrea materia propter illa capillamenta pectinibus

nibus facile aptatur, vt inde tela conficiatur, quæ poſtmodum maculis fœdata tergitur flammis, & non comburitur cecinit de hac elegantiſſimè Italus Pindarus Fuluius Teſtius ſequentia Carmina.

Con artifici egregi
Dell'acceſo Vulcan l'indomit' ira
Tela formoſſi à rintuzar poſſente.

Videamus, quæ de hoc curioſiſſimi Septalij Muſæum exornent.

2 Elegantiſſimum marſupium vnà cum globulis flocciſque appoſitis gratum multis principibus, equitibuſque ſpectaculum; præcipuèque Oenipontino Archiduci Sereniſſimo qui vel ſuadente experientia animum difficulter ad credendum captiuabat, poſſe voraces ignis flammas naturaliter illæſum euadere.

3 Pulcher funis craſſus.

4 Reticulatum opus Flandro labore.

5 Glomus eiuſdem fili.

6 Glomus alter quem Septalius neuit cum altero marſupio donato ab Excellentiſſimo Principe Lando.

7 Telæ Fruſtum.

8 Amiantinæ Chartæ folia ſex.

9 Asbeſtos, qui colum expectat.

10 Stupa ex amianto nextilis.

11 Amiantus perlongus.

12 Amianti palmare fruſtum præparatricem manum expectans.

13 Asbeſtos è Cipro breuis, & viridis.

14 Asbeſtos è Corſica.

15 Lignum quod nunquam comburitur, quod ſi attentiùs perpendatur, eiuſdemmet ſpeciei, e qua amiantus videtur.

16 Asbeſtos immaturus, quem ſi nere vis non vulgari te-

querit

quærit peritia præparandi eruditum.

LIBRI PEREGRINIS CHARACTERIBVS Conſcripti, & Chartæ exoticæ, necnon ex folijs, ſeù corticibus arborum.

Caput LVI.

1 COſmographiæ Chinenſis liber, Chinenſibus: delineatus characteribus. Sericum ſubtiliſſimum papyrum dat, qua confectum biblion eſt. Dono dedit Excellentiſs. Veraguæ Dux; ſed antequam vlteriùs progrediar non erit abs re lectori patefacere Chinicæ ſcripturæ miracula. Hæc appono ex *Olao Vuormio* deducta, ne quis aliena meſſe me diteſcere velle opinetur. Legunt, inquit, & ſcribunt à ſummo paginæ ad imum deſcendendo. *Trigautius de Regno Chinæ cap.* 5. hoc illis peculiare eſſe refert, in libris ſcribendis, quod nullus omnino liber vulgato ſermone ſcribatur, ſed docto. Sermonis hęc diuerſitas, in ſola vocum compoſitione conſiſtit, omnes voces monoſyllabæ ſunt, quamuis ſæpè duum, aut trium vocalium, vt rerum, ità vocum ſingularis ſuus eſt hieroglyphicus character, nec pauciores litteræ quàm voces numerantur idemque apud ipſos eſt dictio, ſyllaba, elementum, Ac licet pro rerum multitudine ſit numerus characterum, eos tamen inter ſe ità componunt, vt ſeptuaginta, octuaginta millia non excedant, Ex ijs qui decem millia nouerit, eos ferè, qui ad ſcribendum neceſſarij ſunt aſſecutus eſt.

Pater *Aluarus Semeda cap. 6.* refert apud Chinenſes vocabula tantùm eſſe tercentum viginti ſex, voces verò mille ducentum viginti octo deſinentes in vocalem, aut *M*, & *N* monoſyllabas indeclinabiles, tam nomina, quàm verba, litteras ſexaginta mille in Lexico dicto *Naipoen* contentas. Ad commodè loquendum ſuſſiciunt octo, aut decem millia. *Hæc Vuormius.*

2 Alter

2 Alter Chinenſis liber ex ſerica papyro botanicam continens, prout Vlyſipponenſes characteres præcraſſæ papyro inſcripti indicant. Chinenſis Dein Reginæ Legatus cum *Patre Bohino* naturale Septalij Muſęum inuiſens legendo atteſtati fuere, quin imò, vt Septalio Legatus pergratum faceret, characteres Chinenſes nonnullos inſcripſit.

3 Iapponenſis alter liber magnis characteribus.

4 Papyrus Chinenſis, & diuerſicolora exornata auro folia varia.

5 Cærulei coloris Chinenſis liber aureis characteribus.

6 Chartæ folium, cuius longitudo octocubitalis, latitudo verò bicubitalis ſupra dimidium, candoris eximij; operis certè admirabilis; dono dedit hoc Eminentiſſimus Montius.

7 Altera folia minora.

8 Magnum folium hominem altitudine æquans, *la Grandeosa*, ſic ipſi appellant, ineſt huic Infans, Chinenſibus characteribus vndique ſignatus. Campus niger eſt, albi characteres. Folio ornamentum circumducitur litterarum pariter continens.

9 Folium alterum è goſſipio confectum valde tenerum fractuque facile, Cœli Mappam ex vna facie refert, ex altera verò varias chinenſes figuras, inſolitis veſtibus, inuſitatiſque capitis ornamentis, quibus vtebatur Chinenſis Legatus ſupra citatus, equinis pilis conſtantibus; folij imum occupabat ditis regia, è qua varij emergebant dæmones aſpectù tetro horrēdi.

10 Quam plurimæ aliæ chartæ ſubtiliſſimę ſericæ Chinenſes referunt habitus inſolitaſque aues.

11 Liber adeſt quem elegantiſſimus Cortex inuoluit, Arabicis inciſuris ornatus, characteribuſque Mogholenſibus. Charta pergamenam æmulatur, primi capitum characteres nitent auro, miniatiſque floribus coronantur, foliaque auratis lineis circumcinguntur, margines aureis quibuſdam notis ſignan-

ſignantur, vt gloſſatum librum, indicent; politiſſimus chara-ćter eſt, cum impreſſionis vſus apud ipſos non vigeret.

12 Alter liber manuſcriptus Arabicus.

13 Liber alter Turcicus.

14 Arabicus, in quo, vt referunt, Alcoranus.

15 Liber alter maiuſculis characteribus, Turcis preces fundentibus inſeruit.

16 Ex arboris cortice, ſiue folijs liber alter, qui cum incognitus diu latuiſſet aduentante demum, e malabari, *Patre de Magiſtris Ieſuita* luciglorioſę fuit reſtitutus. Degerat Pater iſte annos 27. in Indijs orientalibus qui Braſilienſis Regni, & Paraguay Viſitator generalis renuntiatus, Mediolani ſubſiſtens Muſęum Septalij adijt, cui libellum an cognoſceret oſtendit. Eruditè ſubridens Pater legere cępit, ſed tali accentù, vt commiſerantes affectus cieret. Retinuit per aliquot dies librum quem reſtituens multas illi exotico charactere curioſitates inſcripſerat, Italo dein donatas idiomate. Character Tamolenſis erat, Septalioque præſente ſcripſit Pater. Stylo ferreo dextera exaratur character, ſiniſtra folij ſubſtentante oculis hac, illac circumductis. Vocales, conſonantes, ſyllabas, alioſque characteres hoc Idioma continet, quibus corripiuntur producunturue ſyllabæ: ſed vt regionum commodis conſuleret prudentiſſimus Ieſuita, Romæ duas characterum arcas cudendas curauit, quibus, illis in regionibus promouerentur impreſſorij Typi.

Hìc poſſent enumerari librorum volumina, quæ, vt faciliùs in promptu ſint data occaſione, in ipſo muſæo tenentur. Vt ſunt, qui tractant de numiſmatibus; qui impreſſas effigies, aliaque inſignia orbis, vel ædificia, vel alia ſtructuræ opera in plures tomos congeſta comprehendunt; qui Muſæi ipſius curioſitates narratas, delineatas à diuerſis pictoribus ad viuum exprimũt; qui Coſmographias continent, & ſimilia. Sed ſuo

loco

loco inferiùs in Bibliothecis aptiùs reponentur.

EXOTICA VARIA ARTEFACTA in India, & alibi. *Caput LVII.*

1 TEla Chinenſis, varijs intexta figuris, nauibuſque Chinenſibus perbellè elaboratis, in quibus deliciantur homines chinenſibus veſtibus induti.

2 Magni Tapetes Æthiopici, necnon in Regionibus dictis *del Prete Giani*, confecti. Quandoquidem huius Prete Giani incidit mentio non erit abs re pauca diſſerere, quæ ineptum malè appellandi vſum, vel tollant, vel patefaciant. Prete Giani Abyſſinorum Rex eſt, Præsbiter enim ille nunquam fuit, cum vxorijs cinctus vinculis viuat, ſeruatque legem vna contentum vxore viuendi. Vox tamen hæc illis vſui eſt nempè *Ian Hoi*, quæ eadem eſt ac meus Dominus: qua propter niſi ex illo *Ian* fluxit inconditè *Prete Gianni* vnde venerit adhuc latet. *Vide Petr. de Valle epiſt.* 13. *ex Aleppo die* 15. *Iunij* 1616.

3 Ex Amſtelodamo Ioannes Rencius tapetes miſit duos Congientium artificum induſtrioſiſſima opera. Palmarum flores filum dant, quibus tela texatur. Candidiſſimum enim mentiuntur ſericum prout in muſæo ſeruatos videre licet. Conghienſi Idiomate dicuntur *Bai delcan*, quorum meminit Pigafetta. Admirandum ſanè, tantam apud Barbaros vigere artem noſtrę criſpatæ Holoſericæ ſuperantem.

4 Tapes Braſilienſis ex arborũ corticibus diuerſicoloribus.

5 Alter tapes in Paraguay contextus elegantiſſimorum colorum ordine variegatus. Sacræ Hungarorum Romanorumq; Maieſtati, ſed nimiùm immatura morte ereptę ſupra modum placuere hæc, dum Mediolani ſubſtitit Mariannam Sororem Hiſpaniarum Reginam in hymeneum concomitans.

6 Ciſta, ex arborum cortice intertexta, quam Cantonæ phrigiatum crederes opus; adſunt anſæ, ex funiculis reticulati operis, abſque nodis. Regnum Araucanum ſub Chilenſi Magalianenſe versùs, ingenioſos huiuſmodi nutrit Artifices, donum fuit Petri Alphonſi Ouagliæ Primi Ieſuitarum Procuratoris Chilenſis.

7 Peruana ſtrophiola vaga ex arborum corticibus ſericum æmulantibus, quibus vtuntur in Chocolatis tranſcolatione. Noſtrorum temporum laudandane, an deteſtanda inexplebilis luxuriantis gulæ libido exigit, vt de hac potione, Chocolates dicta, nonnulla diſſeram, quæ & curioſitati ſatisfaciant; & medici ſi non docti, ſaltem ſtudentis neceſſarias partes adimpleant. Myrrhinã, ſiue Myrrhatam potionem, quam mulieres myrrhiolam dicebant, antiquitus in delitijs fuiſſe notat Feſtus, quibus, ędiles vtebantur in Deorum ſupplicationibus, noſtra verò ætas, vt magnatum voluptatibus bene conſultum eſſet, traxit ex Indijs nectara, quibus ventres malè domitos ſaginarent. Deſumam nauſeabundi huius nectaris deſcriptionem ex *Ioanne Laet lib. 7. cap. 2. deſcrip. Ind. occid.* cuius cum primi gradus Mediolanenſis matrona mihi coronatum craterem obtuliſſet, delibans ego parum abfuit, ni maluaticum exquiſitiſſimas ferebat ſuppetias, quin vomitu inerudito fauenti matronæ ſtomachantes gratias redderem.

Sed principalis, inquit, vſus eſt in potu, quem ex illis conficiunt. (*Chocolatem* vocant) inſanum in modum ab incolis harum regionum dilectum, & in Summo pretio habitum, quum ijs, qui non aſſueuerunt ſpuma ſupernatans, & fecum inſtar ebulliens meritò nauſeam moueat: hoc potu indigenæ hoſpites ſuos etiam magnates accipiunt, hunc Hiſpani, ſed magis Hiſpanæ ita depereunt, vt poſtquam ſemel illi aſſueuerunt, ſe ſinè illo viuere poſſe negent. Hunc potum varijs modis ita miſcent, vt vnus calidior, alter frigidior; tertius deniq;

inter vtumque medius ſit; nam & aromata admiſcent, varia, & præſertim multùm piperis ſiue axi &c. inferiùs verò ait. Immodicus vſus potionis è *Cacao* confectæ plurimarum infirmitatum, & morborum cauſa eſt; quia generat obſtructiones, corrumpit colorem, & inducit cacochymiam, & ſimiles prauos affectus. Fiunt autem ex hiſce fructibus variæ potiones, prout variæ res ipſis admiſcentur, quas operæpretium erit hic deſcribere.

Prima potio appellatur *Abextli* (quaſi dicas potionem humectantem) ea fit, è centum aut circiter fructibus cacao, crudis, vel toſtis, ſed probè comminutis, mixtiſque cum totidem granis mayzij, (ſiue *tlaolli*, vt vocant Mexicani), aut ſi potionem hanc magis compoſitam velint, addunt, & alios fructus, ſiue *Mecaxuchitl*, ſiue *Tlilxochitl*, ſiue *Xochinacaztli* de quibus ſupra egimus: mittuntque in vas grande, & transfundunt, eò vſque, donec ſpuma ſe attollat, & partes magis pingues, & oleoſæ ſupernatent, atque ità demum hauriunt magis liquidum, & ſeparatim bibi poteſt cum maiori guſtu, & voluptate. Simplex enim potio refrigerat, & nutrit inſigniter. Conficitur, & altera potio ſumendo 25. fructus *Cacahuapatli*, & totidem *Cacahuaquahuitl*, & pugnum *Mayzij*, cui nihil calidorum fructuum, aut aromatum ſolent adijcere, hęc quoque probè nutrit, & refrigerat. Tertia eſt illa quæ appellatur *Chocolate*, iam ſatis omnibus nota, quæ varijs modis componitur pro cuiuſque appetitu, de qua hoc tantùm dicemus quod præclarè nutriat, verùm ſi nimis crebrò, & immoderatè ſumatur, debilitat, & alia præterea adfert detrimenta, de quibus iam ante diximus. Non explicabimus componendi modum, quia nimis variat, tantùm notabimus, quo pacto vſurpetur; aqua limpida in vaſe admouetur igni, donec ebulliat, deinde ſumitur chocolates quantùm lubet, inditurq; vaſi argillaceo, & ſuper infuſa aqua, illa feruente tantiſper

ligneo inſtrumento, quod vocant *Molinillo*, agitatur, donec reſoluatur penitus, & partes pingues, & oleoſæ ſupernatent, quas deſpumatas ſeponunt; dein cum reliquo liquore miſcent atole, & poſtquam deferuuerit addita denuò illa pinguedine, hauriunt, è tecomate, quod eſt vas, è cocci nuce, aut fructu illo quam alibi deſcripſimus efformatum. *Vide Nierembergium Hiſt. Nat. lib.* 15. *cap.* 22. Hauſiſti ſpumantem chocolates pateram lector, ne mali moris damnes, tibi offerendum linum eſt, quo labra atro exteriùs inquinata liquore expurges. Cape.

8 Indiana ſtrophiola orientalia ex goſſipio tantæ ſubtilitatis, vt vel leuiter motus aer illa rapiat.

9 Tela altera Zeilan contexta operis, numeris omnibus abſoluti.

10 Turcici Calcei.

11 Calcei, ſiue Calices ſub forma calceorum, quibus hauritur. Fama eſt Ibera eſſe opera.

12 Polonæ Ocreæ.

13 Moſcouiticæ ocreæ, quæ ſubiectos habent calcaneis, altiſſimos ferratos pedules, heroicam geſtatoribus corporis proceritatem affectantibus.

14 Moſcouitici Calcei.

PRAGMATA GERMANICA VAGA.

Caput LVIII.

1 PIxides quatuor. Primæ, armis munitum ſemicorpus ineſt, compactum ex Indicis muſcis. Deplorãdam Italiæ conditionem, muſcis hìc hominum deſtructioni, non efformationi inſeruientibus? Corpus muſcarum ex longo, æneì coloris faciem dat; pedes, barbam cõponunt. Capillamenta ex florum ſeminibus crines conſtituunt, prout colare;

fićti

ficti rubini oculos mentiuntur, globuli ex florum ſeminibus, thorax vnà cum reliquo corpore, viridibus Indiarum muſcis debet incrementum, licet altera animalcula rubicundi coloris illi fuerint ornamentum impertita.

Similè corpus ſecundæ inexiſtit licet prolixiori barba, craſſiorique vultu Heluetium referente. Florum ſemina capillos conſtituunt flaui coloris, totaq; facies ex induſtrioſa ſeminum iuxtapoſitione, curioſiſſima reſultat.

Continet tertia,& quarta cerebroſum corpus ab alijs diſtãs.

2 Mulieres duæ ex ſeminibus florum contextæ, quarum capita ex minutulis florum ſeminibus;ſed vna alteri diſſimilis.

3 Pelicanus baſi innitens, quem variæ aues colliculis diſperſę coronant, cui ſi potum offeras aquæ ciatum hauriet.

4 Superba implacabilis Deæ Nouercæ Auis, cui ſi potum offeras bibit.

5 Baſis, amœnos ſuſtentans colliculos, per quos pſitaci, aliæque aues in arboribus ludunt, arte ſonorum edentes concentum; arbores verò fontem coronant,in quo anates aliæ natantes; alię ſubmergentes căput, laſciuientes aliæ,aliæ ludentes conſpiciuntur,Animaliaque per nemus diſpoſita illum notant, veluti futuræ ſitis exquiſitum ſolamen.

6 Baſis altera, cui duæ grues innituntur multaque alia vaga, tactoque ferro, cantum proprium edunt.

7 Strutiocamelus.

8 Cygnus.

9 Indicus Coruus. Vide *Nierembergium* curioſa leges.

10 Altera grus magna, necnon Berta.

11 Pſittaci per colliculos diſpoſiti ſuis innixi baſibus.

12 Duo adſunt pſittaci, quorum vni, ſi inſuffles innatam reddit vocem; ex pari verò ſi innatam exſufflando tentas elicere vocem, teterrimo colore tota facies obumbratur.

13 Canis qui actus rotis internis felem inſequitur.

14 Teſtudo, quæ ex ſe mouetur.

15 Canis Bononienſium, & pulchriorum æmulus, latrans mouenſque oculos. Auguſtę vindelicorum floret induſtrioſa hæc ars.

INDICARVM EXOTICARVM RERVM Officina Medicamentaria. *Caput LIX.*

1 QVatuor centum ſexaginta vitrea vaſcula, prætereaque materię alterius diuerſa quàm plurima concinnè ordinata medicamẽtariam licet paruam officinam conſtituunt, quibus quidquid ſingularis tam eoæ, quam occiduæ Indiæ mittunt reconditur.

2 Inter vaſcula hìc diſpoſita enumerantur ſequentia multiplicis materię, & figuræ.

Vas ex Orcæ marinæ cornu tornatum, diceres profectò Vnicornis, niſi illius raritas, quæ vel coronatos Principes in deſiderium potiùs, quàm vſum trahit, fidem ſibi detraheret.

Vas ex Hippopotami dẽte

Ex Vaccæ Marinæ, quam Groethlãdia tranſmittit, dẽte

Ex Ebore.

Ex Rhinocerote.

Ex Bubalo cornu.

Ex Onagri cornu eburnei coloris.

Ex Ceruino cornu.

Ex Bouino cornu.

Ex cornu acathinę variegationis.

Ex Bouis anglici cornu.

Ex Bouino cornu eburnei coloris.

Ex cornu, vt dicitur, *Barindon* diaphano.

3 His ſuccedunt, quæ ex varijs lignorum ſpeciebus dedolantur, vaſa. Nimirum.

Vas ex ebeno fuluo.

Ex ebeno nigro, de quo canit *Virgil. lib. 2. Georg.*

Sola India nigrum.

Fert

Fert Ebenum.

Ex Ebeno combuſto.

Ex Ebeno Sanctę Mauræ.

Ex Ebeno, vt dicitur, *Matto.*

Ex Ebeno Iudę flauidiuſculi coloris.

Ex Ebeno Alexandrino.

Ex Ebeno Violaceo.

Ex Ebeno, quod Amſtelodamo aduectum Septalius recepit, ponderoſitatis ſupremæ, & coloris quà pallidi, quà rubri.

Ex ligno, quod vulgus appellat, *Palferro.*

Ex ligno vulgari voce, *di Zacaranda.*

Ex Saſſafras.

Ex Aloaſtro Rhodiaco.

Ex Roſeo e Canarijs Inſulis aſportato.

Ex Santalo citrino.

Ex Santalo albo.

Ex Santalo rubro.

Ex Santalo fuſci coloris fragrantiſſimo.

Ex Ligno ſancto.

Ex Ligno ſancto albo, quod fuit trunco reciſum.

Ex Canna Indica nigricante

Ex Canna Indica rubeſcente.

Ex Ligno vulgo, *Braſil.*

Ex Campuccio.

Ex Ligno, vt dicitur, *Scedano*

Ex Ligno nephritico.

Ex Granatiliano ſplendeſcente.

Ex Granatiliano ebeneæ nigredinis referente.

Ex Ligno, quod ex Congo affertur, duriſſimo chalybeati coloris.

Ex Serpentino maculis referto.

Ex Ligno, vt dicitur, *Focile.*

Ex Betula nodoſa, quæ per Adriaticum Mare ex Indicis plagis ad noſtras peruenit manus vnà cum enarratis lignis.

4 Ex lignis porrò noſtratibus delicatiſſimè tornata aſſeruantur in Septaliano Muſæo huiuſcemodi Vaſa.

Ex Roſæ radice.

Ex Ligno ſancto noſtrate.

Ex Ligno lecio, ſiue lucino.

Ex Ziziphino.

Ex Corneo.

Ex nodo vlmeo.

Ex Stipeo.

Ex Viteo.

Ex Pruneo.

Ex Cerasſeo.

Ex Nu-

Ex Nuceo.
Ex Nucea radice.
Ex citreo.
Ex Ligno, vt dicitur, *di Naranzo*.
Ex Cupreſſino noſtrate.
Ex Cupreſſino Orientali.
Ex Cupreſſino montis Libani
Ex Pomorum.)
Ex Pyrorum.)
Ex Cotoneorum.)lignis
Ex Malorũ granatorũ.)
Ex Prunorum.)
Ex Perſico.
Ex Meſpilaceo.
Ex Oleagino:
Ex Chryſomelino.
Ex Caſtaneo.
Ex Indico caſtaneo noſtrate.
Ex ligno Hypomelidis.
Ex ligno, vt dicitur, *dia Marena*.
Ex eodem, ſed Brutio odorifero; materiã hoc lignum ſuppeditat cõſtruẽdis amphoris; in quibus reconditum vinum tum odorem, tum ſaporem contrahit, aptiſſimam.
Ex ligno Egani Caulium ſaporis referentis.
Ex Laryceo.
Ex Piceo.
Ex ligno mori.
Ex Vlmeo.
Ex ligno, vulgo, di *roncagine*.
Ex Hederaceo.
Ex Malbauenſi arbore liueſcente.
Ex Malbauenſi candicante.
Ex Iuniperino.
Ex Laureo regio.
Ex Laureo ſylueſtri.
Ex Ligno ſycomori.
Ex Viticeo.
Ex ligno Viſci quercini.
Ex Roboreo.
Ex Roboreo nigricanti, quod diu ſub aquis degit.
Ex Saligneo.
Ex Populeo.
Ex Heliotropij radice.
Ex ligno, vt dicitur, *Oniza*.
Ex ligno, vt dicitur, *D'Aſera* ſiue acerno.
Ex Acerno criſpo.
Ex Buxeo.
Ex Platanino.
Ex ligno Tamerindi.
Ex Sabinacea radice.

SCRI-

SCRINIA IN SE PRETIOSA, ET RERVM pretioſarum plena. *Caput LX.*

1 VAgum ex ebeno Scrinium, quod exteriùs Achates, lapis lazuli; orientales Iaſpides, occidentales, camei auro vincti, auiculæ, flores in Muſæo Sereniſſimi Ducis Florentiæ compacti exornant. Quattuor Æneæ teſtudines inauratæ opus ſuſtentant, cuius ſuperiores laterum anguli inauratis florum vaſibus æneis ſplendent. Admirandarum rerum hoc eſt pretioſa minera.

2 Alterum ex ebeno ſcrinium magnum, cuius proſpectum lapis Florentinus figuris varijs plantarum, nemorum, & Ciuitatum naturaliter ſignatus (de quo infra) conſtituit. Limbo circumcingitur Achate orientali, Boemo, Corneolo, Iaſpidibus inoculato. Quatuor lapidũ fruſta ex ſupradictis Florentinis baſim ſuppeditant, in quibus regiones quatuor à natura pictas oculus æquè bene legit, ac ſi induſtrioſo pennicillo ſuum deberent exortum. Suum habet cor, hoc ſcrinij corpus ex achate pulcherrimo. Pulchritudinem adaugent limbo ſuperimpoſiti quinque coralliorum rami, & coloribus, & pretio inſignes, argenteis, ſed inauratis laminis cincti. Carboninus primus exquiſitiſſimus, Exquiſitiſſimus cinnabarinus alter, reſidet in medio palmi ſupra dimidium altus tertius, quartus, & quintus prioribus oppoſitis pares, naturalium curioſitatum theſaurus eſt.

3 Scrinia duo magna, quorum vnum modernis refertum numiſmatibus, alterum verò vetuſtis, exordientibus à Iulio Cæſare vſque in noſtra tempora, interrumpitur tantumodo ſeries deficiente Feſſeniana vnà cum alteris 4. aut 6.

4 Scrinio modernorum numiſmatum, alterum ſed magis exiguum innititur. Punica, & Græca numiſmata continens,

cui

cui ſuperſtat horologium Nierembergienſe, quod erat Rodulphi Imperatoris, de quo iam actum, alteri verò Horologium, cui pendulum cauſa motus quod iam deſcriptum.

5 Ebeninum Scrinium capſulis ebeninis, varias continens curioſitates, de quibus egimus. Recreat oculum huic ſuperſtans horologium ſextimeſtris motus, de quo iam actum.

6 Scrinium aliud variè diuiſum. Prima occupant loca, aurea maximorum Pontificum numiſmata; ſubſequuntur argentea, tam Pontificum, quam Mediolanenſium Ducum, necnon cœterorum Italiæ Porentatuum, vltimum locum lignea tenent; quorum in concurſu aurea vileſcunt, Hæc ſunt virtute præditi, ſed pauperis adinſtar, qui diuitem offendens magnatem, locum cedit; Verùm ſi interiùs examinentur intaminatis virtus fulget honoribus, Alberti Duri ſudores celeberrimi nobilitauere buxea fruſta, in quibus varij æternati Principes, plus debent Alberto Duro, qui immortales fecit, quàm quis qui genuere mortales. Sinus alter adhuc adeſt argenteis numiſmatibus diues. His viſis alterum adhuc ſcriniolum ſupereſt inauratum, multis abundans ſinubus, ſexcenta conſularia numiſmata argentea Vrbis Romanæ conſeruantibus: ſed nec dum è ſcrinio omnia exempta viſcera, reſtant adhuc, quæ extrahas latera, ſcriniola offerũt paruis repleta numiſmatibus, aureis, & argenteis; quæ è Iulio Cæſare ad Galienum nomine deficiẽte tibi exhibent Imperatores. Latent adhuc inferiùs ſinus quatuor argenteis numiſmatibus locupletes. Pulchritudinis gratiam ſcrinio adauget ſuperimpoſitum clauicimbalum, de quo iam actum.

7 Eburnei rami, floreſque ebeno commiſſi, ſcribarias duas exornant, quæ per archiuia ſuſtentatę varij generis vitrea continent, curioſoſque crateres quibus maximè Venetiæ excellunt. Adſunt vitrea inſtrumenta, quibus caloris, frigoriſque gradus optimè dignoſcuntur, leuitatem aſſequimur aquæ, vel grauita-

grauitatem: curioſitas Hippocrati ignota ſcribenti, aqua leuiſſima eſt, quę citò calefit, & citò refrigeratur Sereniſſimi magni Hetruriæ Ducis ingenioſiſſimum donum, diuiſo enim in 60. annullulos grano facillimè ponderatur, adſunt alia curioſa, quæ nimium eſſet recenſere.

VITREI GLOBI, QVIBVS VARIÆ curioſitates inexiſtunt, artiſque ignaris, artis miracula videntur. *Caput LXI.*

1 VItreus globus continens magnam caueam minio, auroque ſplendentem, cui auiculæ inſunt, aliæque curioſitates.

2 Alter globus vitreus ſphæram continens armillarem, terræ centrum gyaris multis ambientibus, planetarum circulos indicantibus. Centrum format inaurata pila, quæ in æquilibrio ſuſpenſa quocunque verteris vitreum globum, numquam ſuos circulos excedit.

3 Alter globus vitreus, ſed magis exiguus rhombum continet, quo Flandræ mulieres filum nent.

4 Tormentarius librator, vnà cum bombarda ſuſtentata eburnea baſi, vitreo, & exiguo Globulo includitur, nitratum puluerem igne tentat librator, quem ſi pycius concipit tota machina perditur.

5 Globulus alter ſimilis Anno 1622. à Septalio, dum Piſis ſtuderet elaboratus. Septalio hic ſacer eſt, exiſtimans in huiuſmodi inuentione primum fuiſſe opus editum, poſteritatemque ipſi inuentionem debere, qua virtuoſo otio detineatur.

TABVLÆ

TABVLÆ LAPIDEÆ PICTÆ.
Caput LXII.

1 E Lapide lazuli, & pretioſiori ouata magna duo, in vnius cęruleo maris referente quam benè roſtrata nauis triremiſque vndas ſulcant; in altero verò tutum oceani ſinum referente, quam plurimas figuras licet intueri lato proſpectu pelagi fruentes. Limbus ebeninus inſignes Ioannis Baptiſtæ à Sole labores coronat.

2 Tabulæ duæ alteræ è lapide Lazuli ſaturatiſſimi coloris, quibus vt magis ſplendeant, à Sole picturæ ſplendores fuere communicati.

3 Alteræ tres tabulæ diſpares, quæ pingentis Solis radiantes ſpęcies reflectunt

FLORENTINI LAPIDES SVPER QVOS Natura ludens Regiones, & oppida adumbrauit. *Caput LXIII.*

1 CVbitalis tabula, in qua magna Ciuitas micat, in cuius medio magna turris aſſurgit.

2 Lapidea altera tabula ſuper qua lætis vmbroſarum arborum ſupercilijs elegans mons in Cœlos aſcendit, è cuius cacumine fons naturaliter ſcatet riuis per ſaxa ſubinde dilabentibus, quæ naturaliſſimam criptam conſtituunt. Celeri arrepta occaſione, hic ars Sanctum Hieronymum pinxit vnà cum leone, in huiuſmodi Hiſtoriam omnibus aptiſſimè concurrentibus. Differt à monte tellus colore, vt nihil deficiat quod admirarionem inſpicienti parere poſſit.

3 Ouata altera vrbem referens nubibus circumdatam.

4 Ouata altera, in qua mons aſſurgit nubium tropæa quod ammo-

ammodo interſecatus. Lata planities cacumē occupat montis, in qua delineatus veluti Chriſtus apparet, vnà cum Satanà tentante. *Omnia tibi dabo ſi cadens adoraueris me &c.* Mons ſingularis certaminis, Ieſus cum dæmone, erat propè Ierichum adi Epiſtolas *Petri de Valle epiſt.* 13. *ex Aleppo* 25. *Iunij* 1616. *Italice editas n.* 10.

5 Altera quadrata tabula lapidea Ciuitatem nubeſque referens.

6 Alteræ duę ſatis magnæ varijs naturæ cerebroſitatibus conſpicuę.

7 Alteræ quatuor magis exiguæ.

8 Duæ tabulæ exiguę lapideæ, ſed inſolitæ, ſectę enim per medium tibi Ilion ardens repræſentant adeò naturaliter, vt Zeuxis ęternitati meliùs non pinxiſſet.

9 Tabulæ duæ, in quibus adeò benè arbores naturaliter virent, vt miniatas iudices.

10 Altera, cui ars adaptauit auiculas ſuper arboribus ludentes.

11 Alteræ duæ tabulæ ex lapide quem dicerem Achatem ſpurium pulchritudinis eximiæ. Omnes hæ tabulæ limbis pulcherrimis circumcinguntur.

TABVLÆ PICTÆ DIVERSI GENERIS.

Caput LXIV.

1 EFfigies Galeazij Septalæ Capitanei Teutonicorum, auunculi aui Manfredi Septalij. Tabulæ laus. Erit pictorem dicere. *Titianus pingebat.*

2 Ludouici Septalij Octuagenarij eiuſdem Manfredi Patris effigies. Opus hoc *Fides Gallitia Mulier* celeberrima in orbe pictrix in lucem edidit.

3 Annuntiatio Beatæ Virg. Mariæ noua quadam inuen-

tione

tione, opus *cuiuſdam Belgæ* cęlebris in Romana Curia.

4 Senatoris Septalij Manfredi Fratris effigies. Opus *Danielis Criſpi* magni nominis Pictoris.

5 Prędicti Danielis Criſpi Tabula non parua Tentationes S. Antoni referens inuentione ſingulari.

6 Altera effigies Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Epiſcopi Caroli Sepralij, Manfredi Fratris, Flandri Pictoris labor in Vrbe Romana celebris.

7 Manfredi Septalij effigies prædicti inſignis Pictoris *Danielis Criſpi*.

8 Tabula parua B. Vig. Mariæ cum S. Ioſeph, & Chriſto Infante fructus à S. Ioſeph recipiente ſingularis pulchritudinis, opus magnæ illius mulieris *Gallitiæ*.

9 Altera Ludouici Septalij exigua effigies edita, dum florentiori ætate vigebat.

10 B. Virg. Mariæ effigies vna cum Chriſto, & S. Ioan. Baptiſta paruulis, in magna tabula pictis à magno *Raphaele Vrbinate* inter Pictores facilius Principe.

11 Venuſtæ Matronæ elegantiſſimæ effigies *Leonardi à Vincio*.

12 Parua, ſed celeberrima Tabula *Bernardini Luini* Pictoris inſignis, in qua extat effigies B. Virg. Marię, & Chriſti donantis florem S. Ioan. Baptiſtę,

13 Nontij Gallitij celeberrimi miniatoris, Patris, Fidei Gallitiæ magnæ Pictricis effigies, opus *Gallitiæ Fidei* acceptę vitæ beneficium, æternitate patri procurata compenſantis.

14 Fidei Gallitiæ effigies florentis ętatis, *ipſius Fidei opus*.

15 Pueruli effigies, *Fidei Gallitiæ* opus.

16 Ducis Ferię effigies, *Iuliani* opus ſingulare.

17 Altera Septalij effigies. Opus ſub Florentino *Bronzino* profitentis.

18 Guſtaui Adolfi Sueuorum Regis Germanici Imperij

terroris

terroris effigies. Erat quaſi edita oraculo ſors, aut Guſtauo, aut Imperio Germanico cadẽdum, ſic ipſe lipſienſem pugnam ſua morte nobilitauit, aquilæque Auſtriacæ reſpirauerunt.

19 Viuentis Chriſtinæ Sueuorum Reginæ, Filiæ Guſtaui effigies. Tanti intellectus virago arguit in generatione naturam erraſſe. Maſculum intendebat, produxit fœminam, ne noſtra ætas amazonio decore fraudaretur. Fœminei nihil pręter ſexum, quem nonnumquam mentitur habitu, virili animo mollia ægrè tolerante Gynæcea. Ad mulierem virtus fœmina confugit. Scientiarum quidquid peregrini adeſt, familiare ipſi eſt. Huic & virtus in pulchritudine, & pulchritudo in virtute. Didicit facere, & pati fortia priuſquam videret. Romam, Rege Conſobrino renuntiato, Catholicæ gręmio reſtituta Eccleſię pollutam hæreſi animam expoliuit, ne corporis candore ſuperaretur. Tantam Heroinam, aut Reginam, vt pulchram, vt omni virtute præditam venereris lector, & admireris; natura ampliùs ſimilem non enixura fœtum.

20 Angli Cromuelis Regnorum Gerionis, ſiue Angliæ protectoris, effigies. Scirè cupis qualis fuerit hic vir? Regnauit in Anglia, nominis Regij hoſtis acerrimus, fauente AngloRegum parricida, proprios extollente Reges vt Tirannum firmaret. Diſce quantùm poſſit odioſum nomen, Rex ſupplicio perimitur. Tirannus protector colitur.

Vide *Libellum, cui titulus Europæ ſanitas reſtaurata Frãciſci Villioti.*

21 Sereniſſimi DD. D. Ioannis Auſtriaci effigies. *Paini* opus.

22 Innocentij Decimi Maximi Pontificis Sacra æternitati effigies, ſingularis, & grati animi Septalię familiæ poſteris documentum.

Si quidem prædictum Carolum Septalium Vtriuſque Signaturæ Referendarium, tunc Mediolani degentem elegit

K Epiſco-

Epiſcopum inſignis Dertonenſis Diœceſis, ſolem, & ſalem, die octaua poſt Epiſcopi prædeceſſoris mortem. Qua in electione animaduerto Innocentios Summos Pontifices huic familiæ in Infulis impertiendis propitios fuiſſe; Si quidem Innocentius 3. S. P. Henricum Septalam Archiepiſcopum Mediolani Anno 1210. elegit: Innocentius V. Sum. Pont. Franciſcum Mariam Septalam Viterbenſem Epiſcopum, Innoc. VIII. Sum. Pontif. Coſimum Septalam Epiſcopum Rauellenſem: nec non Gabrielem Septalam Nardinenſem, & poſtea Auellinenſem Epiſcopum.

23 Iulij Secundi Summi Pontificis in medio duorũ Cardinalium Iuuenum nempe Cardinalis Medicei, qui dum ageret annum trigeſimum tertium electus eſt Summus Pontifex, & vocatus Leo X. & Cardinalis Sixti à Ruere Nepotis ipſius Sum. Pontif. ex fratre. Opus *Diſcipuli Raphaelis Vrbinatis*.

24 Mulier proceri corporis, cui piloſa facies tota, pilis palmum æquantibus. Egregium *Paini opus*.

25 Monſtri effigies Lazari nomine, cui ex hypogaſtrica regione viuus alter egrediebatur, quo puncto Lazarus triſti nullo doloris ſenſu affligebatur. Tractatulum de monſtro elegantiſſimũ habes apud *Ioannem Riolanum annexum ſpongiæ Alexiteris aduerſus Æmilium Pariſanum*.

26 Tabula miniata limbo ingenioſè artificioſo coronata. Spectandum magis, magiſque opus, cum ſacræ manus illi conficiendo inſudarint. Palmarem locum labor occupat, phrygiatum eminus mentiens, verum ſi cominus intueris palearem ſe aperit. Iunonia auis non alibi magis, quam hic in palea ſuperbit, vaguſque variarum auium chorus palearis luſus in paleis ludit. Monialium Dertonenſium Virginum Reuerendiſſimo Septalio munus, vnà cum floribus, & galero venationem eiuſdem met operis repræſentante; quod ipſe in muſæo æternitati ſacrauit, & prædictarum Virginum gloriæ in

hoc

hoc miniſterio in orbe ſingularium.

27 Magna *Baſſani* tabula, ſiue potiùs doloroſa ſcena coronatum ſpinis Redemptorem repræſentans, noctem mentitur tabula, luce impiam barbaræ turbæ attrocitatem ferre nequeunte.

28 Tabula ſuper qua non vulgaris nominis Pictores duo *Groſſus* nempè, & *Duchinus* certauere. Exprimitur in hac Beata Virgo cum Infantulo Ieſu, & Beata Eliſabeth cum precurſore Ioanne tenellæ ætatis.

29 *Cerani* tabula funeſtum accidens Romanæ Lucretiæ exprimens, ferrum in viſcera condentis, æterna non violandæ pudicitiæ didaſchia.

30 Stratis hoſtibus multis inſidens equo Sanctus Iacobus fulmineum vibrans enſem, pulchritudinem ex hoc arguas. Eſt *Cerani* Tabula.

31 Sanctus Ioſeph nouam vitam Patri *Cerani* debens.

32 Buſtum cum capite Sancti Iacobi; *Cerani* opus.

33 Mulier creditur meretrix. Opus magni illius Pictoris *Leonardi à Vincio*.

34 Dauid pre manibus gerens Goliæ Gigantis formidabile caput, *Iulij Cæſaris Procani opus ſingulare ſuæ adoleſcentiæ*.

35 Sanctus Franciſcus cũ pſitaco aue. *Cerani Sororis* opus.

36 Lucretia, *Leonis Areſini* labor.

37 Lucretia altera *Surdi* labor.

38 Sanctus Hieronymus Angelico Concomitatus tubicine, *Vermilij* opus.

39 Sancti Ioannis Effigies, *Herculis Procacini* labor.

40 Anatomia naturaliter expreſſa à *Daniele Criſpo* inſigni Pictore, qui Ticinenſis magnę Cartuſiæ totam ferè Eccleſiam pinxit.

41 Celeberrimæ Iucundæ effigies Francorum Regis cubiculum ornantis, copia ex *Leonardo*.

42 Ægyptia Fidei Galliciæ, cuius prototypus erat *Leonardi*.

43 Tabula magna, in quà Sanctæ Cæciliæ Martyrium à *Salimbono* expreſſum, prototypus erat Micherini.

44 Tabulæ tres magnę deductæ ex picturis *Andreæ Sarti*, Piſanam Metropolitanam ornantibus.

45 Eiuſdem alteræ duæ tabulæ, fulget in vna, cum Diua Chriſtina, Sancta Agnes; in altera verò regnat Sanctus Petrus cum Pręcurſore Ioanne.

46 Mulieris effigies, ſub *Tintoretto* profitentis naturaliſſimum opus.

47 Herodiades vnà cum Capite Præcurſoris Ioannis. Caput, *Cerani* opus: Herodiades *Filiæ Cerani* vxoris pictoris *Melchioris Gherardini*.

48 Sanctus Hieronymus, Sancta Lucia *Melchioris Gherardini* opera.

49 Sanctus Hieronymus noctu orans *Baſſani* opus.

50 Tabula continens Beatam Virginem cum Infante, duobus Angelis adorantibus, *Soliani*.

51 Ab *Raphaele*, *ab Vrbino* effigiata Virgo cum Ieſu, & Ioanne Baptiſta, huius prototypus numeratur inter pretioſiſſima Francorum Regis.

52 *Luini* opus æmulum *Raphaelis Vrbinatis* referens Beatam Virginem, Infantem Dominum, vnà cum Pręcurſore Paleſtino.

53 Virgo cum Infante, & Sancto Ioſepho, opus *Fidei Galitiæ*, Sanctus Ioſeph ſub Gallitię Patre adumbratur.

54 Veſtita Aegyptiaco More B. Virgo Maria *Fides Gallitia* dedux it à *Corigio*.

55 Vetula, *Fidei Gallitiæ*.

56 Virgo cum Ieſu, Sancta Eliſabeth cum Ioanne, *Leonis Areſini* opus.

57 Virgo altera cum Chriſto Infante dormiente, opus *Camilli Procacini*.

58 Tabulę duæ ſingulares, quarum vnam Sancta Catharina illuſtrat, in altera verò Beata Virgo nitet coronata Angelis; opera *Bernardini Luini*, eiuſque Fratris.

59 Tabula magna, in qua Primum homicidium, Caino in Abelem intentante fatalem ſtipitem; prototypus *Guidi Reni*; adſunt alteræ quatuor tabulæ ex eiuſdem Prototypis.

60 Magdalena, *Herculis Procacini*.

61 Annuntiatæ Myſteriũ Romę editum ſingularis formæ.

62 Tabulæ tres, tribus Capitibus inſignes. Homeri vnum, D. Hieronymi alterum; tertium Moiſis, legumlatoris tabulas præ manibus gerentis. *Tiuolenſis* opera.

63 Aues duæ, à *Fide Galitia* pictę.

64 *Pſittacus*, quem ego dicerem Longram roſue, pulcherrimæ pſittacorum ſpeciei: alteraque *Auis Ægyptiaca* Septalię domus quondam viua ornamenta,

65 Daniel in lacu Leonum; leones *Danielis Criſpi* opera ſunt ex Brugora; Daniel verò *Melchionis Gherardini* labor.

66 Exotica animalia olim Septaliæ domui familiaria ornamenta, tabulas nunc duas inſigniunt, quæ inter Iaponenſis eminet *Micus*, nõ tam vario corporis colore inſignis, quàm docilitate excellens, quem cum *Sereniſſimus Archidux Oenipontinus*, *&* *Archiduciſſa Auſtriæ* admirantes laudaſſent, ſcurrile nonnunquã animal, illud Sereniſſimis Celſitudinibus Septalius dono dedit.

67 Coruus Indicus, Pica Baſilica, manucodiatæ duæ, tabulam alteram conſtituunt, de quibus iam actum.

68 Magnę duæ Regiones, *Petri Flandri* diligentiſſimi Pictoris.

69 Alteræ duæ Regiones, ſed magis exiguæ, *eiuſdem Authoris*.

70 Maritima tempeſtas exequens mandata fatorum, opus *Vuom Flandri* Pictoris eximij.

71 Proſpectus Maritimus alter ſuper quo triremis acta remis volat. *opus eiuſdem*.

72 Pugna, *Caroli Battaui* opus.

73 Tuta Maris ſtatio quamplurimis inexiſtentibus in portu velis. Flandrici opus pennicilli, *ſub Brugora* profitentis.

74 Magna Regio, *Caroli à Sole*.

75 Ardens Regia Priami, *Rudolphi*.

76 Tabula, regione à *Luterano* picta inſignis.

77 Tabula altera Regione conſpicua, opus Magnifici *Petri*.

78 Magna tabula referens armaturas, aſſerculos expolitos & tapetes, *Romanum* opus.

79 Tabulæ ſex, vel in hyeme domeſticos flores, familiares roſas, peregrinas, verno tempore tulippas exhibentes.

80 Magnum Coloſſæum, ſeu Amphiteatrum Romanum, vnà cum Conſtantini arcu. *Philippi*, opus *Romæ*.

81 Regiunculæ alteræ, ſex tabulis expreſſæ.

82 Tabula perfectiſſima *Brugoræ* ebenino limbo coronata.

83 Philippi Quarti Archimonarchæ Hiſpaniarum Potentiſſimi effigies. *Paini*.

84 Tabula miniata ebenino limbo, argenteoque nitens Ieſum referens tendentem in Emmaus. *Romæ picta*.

85 Tabula altera *Leonardi à Vincio* parua.

86 Alteræ duæ Tabulæ referentes Beatam Virginem cum Ieſu miniatis floribus coronatæ.

BIBLIO-

BIBLIOTHECA SEPTALIANA.
Caput LXV.

1 FOliorum, quæ iam calamus deſcripſit, me ad libros inuitat curioſitas, ſiuè ad Bibliothecæ Septalianæ magnificentiam, cui antiquorum Ægyptiorum, Arabum, Græcorum, Romanorumq; æmulans *Familia Septala* Muſæum adaperuit non pœnitendæ, vt iàm conſtat, maieſtatis; Ex vtroque tantæ Familiæ, vel à vetuſtiſſima Virorum Illuſtrium proſapia deſcendentis quantùm aſcenderit in rempublicā litterariam amor, & ad omnia virtutum genera quantùm enituerit affectus, non obſcurè innoteſcit: Atqui dicendum dè bibliotheca non immeritò, quod Dei, & ſcientiarum prorsùs omnium recondat myſteria, de Muſæo, quod artis, & naturę contineat arcana: Tibi alterutram ſcholam ingreſſuro hoc ſatis, quod ni abſolutus Magiſter, ſis ſaltèm eruditus diſcipulus egreſſurus. Ingredere ergò, nec obſtupere deſinas, qui perhorreſcere, vel à limine mox incipis.

2 Septem mille ducentùm nonaginta volumina bibliotheca hæc enumerat (cuius index aliquando prodibit in lucem) inter quæ plura ſeruantur Græca, & ſexcentum leguntur manuſcripta; In ſatis amplo trium cubiculorum ſitu locata adhùc illa ſpectaretur, niſi, qui ex his vnum replebant ad ornatum, libros aſportaſſet Derthonam *Illuſtriſſimus æquè ac Sapientiſſimus D. Carolus Septalius Epiſcopus eiuſdem Ciuitatis Præſul amantiſſimus dicti D. Manfredi frater natu minor*. Tercentum ligneis capſulis ad id muneris, vt conſultò conſtructis, ità apprimè diſpoſitis tota perſtringitur ea tamèn ordinis peculiari lege, quæ cuilibet ſcientiarum ſtudio ſingillatim debetur.

3 Primo enim loco occurrit librorum ſeries, qui microcoſmo prima ſciendi elementa tribuentes humaniorum, & poli-

tioris eruditionis litteris inſeruiunt: Subſequitur ſecundo eorum non paucus numerus, qui Græcas, Latinas, Italicas, & plurimarum gentium continent hiſtorias: Tertio inſiſtunt, qui Ethicæ, & Politicæ præcepta ſignificantiori ſenſu Philoſophiæ moralis axiomata docent: Quarto ſuccedunt, qui de cognitione, & aſtrorum motu, tùm & de geometricis menſurationibus, de Muſicis concentibus, deque Arithmeticis numeris pertractãtes Aſtrologiæ, & Mathematicæ ſcientijs operam nauant: Quinto collocantur, qui Philoſophiam enucleãt, & Medicinę ſcientificam artem demonſtrant, qui Animalium mirabili cælatura, qui mineralium, & huiuſcemodi hyſtoriographicam complectuntur geneſim, & cathegoricam exprimunt notitiam: Sexto committuntur legales Iuris vtriuſque libri, ex quibus ordinatim procedunt, qui interpretantur Profeſſores, qui decidunt Iudices, qui conſulunt Aduocati, quiquè tractatus conficiunt Auctores, quorum quidem vbertati (quod mirum eſt dictu) Doctiorum reſpondet electio: Septimo deniquè loco (eccè ſeptenario numero octauum gloriæ gradum ſupereminens Septaliana virtus quàm bellè gaudet) ordinantur, qui adipiſcendæ tùm Scholaſticæ, tùm morali Theologiæ vſum compræſtant, qui Sanctorum Patrum quà Græcorum, quà Latinorum doctrinam ſapiunt, qui emedullatam Sacrorum Bibliorum interpretationem perſtringunt. Generalia, inſupèr, & Prouincialia Orthodoxæ Eccleſiæ Concilia, & Synodi.

4 Regia profectò nitet venuſtate Bibliotheca hæc, vt quam Virorum litteris armatorum imagines, quàm armis decoratorum pretiosè coronant: In hac ſingulares Mundi elementaris, æthereiquè cognitionem docentes libri reponuntur; & tanta vtiquè corruiſſet machina, ſeptem niſi libris ibidèm aſſeruatis totidem non ſecùs ac humeris illam ad venturam annorum myriadem nouiſſimi Atlantes ſuſtinuiſſent; Horum vſu Ma-

rium

rium nauigationes commonſtrantur tutiores, Orientales, Occidentaleſquè plagæ deteguntur: Exoticarum rerum præcipuè quibus Botanica ſtudet, delineamenta configurantur, & primæui, præſentiſquè ſæculi Numiſmata ſiuè aurea, argenteaquè ſiue ex purgatiſſimo vel Corinthio ęre, quę Conſularia à Cōſulibus, Cæſarea ab Imperatoribus Romanis, & alijs plurimis Magnatibus dicuntur, tàm nobili Flatuariæ artis ichnographia dignoſcuntur, vt quid ad hanc rem exoptatius deſiderari quidem, ſed obtineri non poſſit: Tantum ſtuporem adaugent *Septem* ex papyro, vt dicitur, Imperiali Tomi ingentes, quibus *Illuſtriſſimus Epiſcopus Carolus Septalius*, dum floreſcentis iuuentutis primordia ad omnes ſciētias, liberaliumquè artium cultum propenſus agebat, picturæ præſertim mirum in modum addictus (cuius quidem artis formoſitate tota Eccleſia Dertonæ Cathedralis in dilectiſſimam ſibi ſponſam concredita ad oculorum non minùs pompam, quam ad deuotionis incitamentum ex tanti Pręſulis ſollicitudine præcipuis in ſolemnitatibus ſuperbit) multiformes typos ad numerum *viginti mille* ordine imperſcrutatæ adhùc inuentionis ſeruato glutinauit.

5 Horum *Primi Tres* Pictorum, qui à temporis vetuſtate ad noſtros hucuſquè dies extiterint maioris famę V. S. Michaelis Angeli Bonarotæ, Raphaelis Vrbinatis, Ticiani, Iulij Romani, Alberti Dureti, Lucæ Olandæ, vſquè ad hæc noſtra tempora 1660. nempe Guidi Reni, Rubens, & ſimilium, ſeſemet euoluentibus offerūt Simulacra, ad quorum calcem centum, ducentum, & plura operum, quæ ab eorum pennicillis prodiere, ſubſtrata ſunt exemplaria, nullius diceres frugi ſtudioſiſſimos adoleſcentiæ labores, quos in deſcribendis illorum vita, & geſtis effuderunt *Vaſſarius*, & *Lomatius*, dum contractior in hac imaginum Scęna tibi occurrit notitia, ne dum ex ingenioſiori apparatu veracior. *Quartus* architectonicus

continet

continet modulos, quos Romani Imperatores, & nunc Reges, & Ciuitates præcipuæ, Theatra, Amphiteatra, Hippodromos, naumachias, Circos, Pyramides, Fontes, Sepulchra, Templa, Palatia ædes erexerunt Coronati totius Europę Principes: *Quintus* delineatas continet tabulas vulgo *Paeſi* ſingularium Pictorum: *Sextus* multigenas effigies Sum. Pontif. Imperatorum, Regum, Cardinalium, Principum, Epiſcoporum, aliorumque Virorum, qui in Toga, chlamydequè militari excelluerunt, deſignat effigies vltrà quingentas: *Septimus* Genealogicas Europęorum Regum, & Principum, & nonnullorum Aſiaticorum Principum, Procerumquè ſtirpes ordine Coſmographico ab vltima Thule nempè Iſlãdia vſq; ad Perſas, & Indos pulcrè delineatas includit, Liber Ingens ſanè nõ pœnitendi licet iuuenilis laboris à quamplurimis Magnatibus, quòs inuiſendi Muſæi Septaliani fama pertraxerat, alijsque virtute inſignitis magnæ habitus exiſtimationis.

6 Non minori elogio condecorantur, & *Septem* alij, qui ſuperſunt Tomi, in quibus viuaciorem cælaturam rerum magis ſingularium, quæ in Muſæo aſſeruantut, expolitio hac arte florentium miniaca tàm elegantèr colorat, vt quoduis eorum folium auream promereatur coronam in ornatum.

DE INSIGNIORIBVS BIBLIOTHECIS ORBIS AD ANNVM M.DC.LX. A CHRISTO NATO.

7 Sed placeat ad legentium curioſitatem magis illuſtrium Bibliothecarum, quot quot vniuerſus terrarum orbis honorifico applauſu modo concelebrat, eiuſdem *Antiſtitis Caroli Septalæ* laborioſo ſtudio confectum, ad noſtraſque manus gratæ illius animi vrbanitate peruentum Indicem hic inſerere in Epitomem Congeſtum, vt tanti Herois vnicuiquè ſplendeſcant virtutes, qui auitæ gloriæ ſemitas indefeſsè percalcans æternitatis aditum ſibi, & gentilitiæ poſteritati animosè recludit.

8 Etenim

8 Etenim Bibliothecas adaperiri ratus ſemper ille fuit ab humanæ naturæ primordijs effluxiſſe, quæ cum ſcientiarum veritatem à Diuina Sapientia infuſam concepiſſet, diabolica tùm ſuggeſtione perſuaſa *Eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum* ad altiora, quæ ſui abiectio ferre non poterat, ſciendi ſe ipſam ambitiosè erexerat; Infelix tamen, quia vetitum à Deo fructũ mox deglutiens omne malum deuorauit, & quam aſſequi ſperauerat ſcientiam, ignorantiæ tenebris offuſcata peccando deperdidit, hinc adhùc ſciendi deſiderio exæſtuans eorum, quæ tunc nouerat, monimentum poſteritati committere excogitauit characteribus in libro ex mẽbranaceis arborum corticibus confecto probabili ea inciſis ratione, vt à qua peccatum incauta decerpſerat, mox ab eadem arbore tantæ inobedientiæ memoria diuulgaretur ad Sæculi conſummationem. Auctor eſt *M.Varro* condita in Ægypto Alexandria non antè fuiſſe chartarum, ex quibus connecterentur libri vſum, ſed palmarum folijs primo ſcriptitatum, deinde quarumdam arborum in libris, poſteà, quæ publicæ rei competebant, monimenta plumbeis voluminibus inſculpta, mox quæ priuatæ conſulebant, geſta linteis depicta, aut cereis impreſſa fuiſſe, ex quo conſtat in Bibliothecis ſtruendis exordium prouenisse ab Ægypto, ibi enim.

9 Prima publica Bibliotheca regnante Olymanduno ſacra dicta aperta fuit, cuius in fronte legebantur *Animi Medica officina*. Plures templis proximè erectas indè iactauerat Ægyptus, quarum codices Sacerdotum regimini committebantur in cuſtodiam, omnes tamẽ edacis temporis dẽte contritæ remanſerunt, & obliuione ſepultæ.

10 Sæuijt Piſiſtratus Athænarum Tyrannus anno ab vrbe condita propè 200. Cuius tamen melliflua eloquentia deliniti Athenienſes tyrannidem experti fuere in ſermone dulciorem, quàm in opere. Artibus liberalioribus affectum vouens

Biblio-

Bibliothecam primus Athenis patefecit *auctore Atheneo, Policrate Aulo Gel. & Iuſtino lib.* 1. *Plutar. in Salone*, quã Xerxes Perſarum Rex Vrbe poſtmodum potitus circa annum mũdi 3490. pro parte ad Perſas trãſtulit; eam deindè 186. poſt annis nempè circa annum mundi 3676. Seleucus Nicanor Syriæ Rex copia Codicum ampliauit, & in ordinem compoſuit, quæ aperta remanſit, & integra vſque ad Athenarum depopulationem, direptionem, & afflictionem qua Sylla indixit maiorem illius partem Romam deferens.

11 In Græcia copia, delectu inſignem, bibliothecam erexiſſe circa annum mundi 3650. Ariſtotelem auctor eſt *Strabo*, quæ *Athenæi* fide in Ptolomęorum manus poſtmodum perueniſſe narratur.

12 Ægypto hoc bono ſpoliata *Ptolomeo Philadelpho Ptolomei Lagi Gregarij Militis filio* ſceptrum ibidem tenente tertio Rege ab Alexandro Magno, operoſoq; *Demetrij Phalerei* ſtudio, qui tunc Athenis exulauerat, ipſi alioqui acceptiſſimus, Inſignis conſtructa fuit Bibliotheca annis antè Virginis partum circitèr ducentum octoginta teſte *Euſebio* 10. *de præp.* 4. *Baron. anno Chriſti* 183. *nu.* 5. qui à mundi creatione enumerantur 3720. in Alexandria nobiliori totiùs Ægyptij Vrbe, quam vt vltra ducenta voluminum millia teſte Baronio toto orbe ingenti cura conquiſitorum etiam libris Iudęorum refertiſſimam faceret, mortuę litteraturæ animam daturus, quotquot Iudæos à Hieroſolymæ expugnatione in captiuitatem ſecum duxerat, Eleazaro Summi ea in Ciuitate Pontificis Maieſtatem præferenti emancipatos remiſit, à quo reciproca liberalitate ſuſcepit in cariſſimum ſibi munus Sacratos Teſtamenti veteris codices vnà cũ ſeptuaginta duobus nempè ſenos ex ſingulis Tribus Hebræis, qui illos ex Hebræa in Græcam phraſim mirabili, nec non, & diuino, ac prophetico afflante Sancto Spiritu, vt teſtantur Sancti Patres allati à Baronio

in Inſu-

in Inſula Pharo apud Alexandriam ſeparatim ab inuicem cellulis ſinguli, concepta vniuoca, & vniformi interpretatione tranſtulerunt, qua translatione vſu ſunt Iudæi, quin ipſe Chriſtus, & in Eccleſia dicitur communis, verùm poſt Chriſtum à Iudæis corupta fuit poſtea mendis expurgata primùm ab Origene, deindè à Luciano martyre, poſtea ab Heſychio, & demum à S. Hieronymo, præter, & tot alios, quos regia ſolicitudine libros Græcos, Chaldæos, Ægyptios, Latinos in grecismum traductos, plurimarumq; Nationum poſt translationem congeſſerat ad numerum teſtante *Aulo Gelio* 700000. Sed heù tantæ Virtutis ſplendor, quàm breui tempore illuxit, Olympiade enim 183. ab Vrbe condita pugnante in Alexandriam Cæſare, quòd Pompeianę claſſi receptum dediſſet, qui Naues hoſticas accenderat, ignis in cinerem redegit *auctore Oroſio lib. 6. cap.* 15. Maximam Vrbis partem, quadringentaq; librorum millia, adeò vt ab ortu ad eius occaſum ducentum viginti quatuor dumtaxàt anni ſupputentur.

13 Celebris fuit etiam in Aſia Attalica ſiue Pergamena Bibliotheca ab Eumene, qui fuit Attali Regis patris Nuntius ad Romanos, & alterius Attali vltimi Regis, qui reliquit hæredem Populum Romanum, pater. Hic circa annum ab orbe condito 3810 erexit Pergami inſignem Bibliothecam ſingularium librorum 20000. & vltra.

14 Ex Romanis *Diuus Iſidorus commendat*, quam Æmilius Paulus priuato ſibi commodo condidit, & quam publicę Ciuium vtilitati aperuit ditiſſimus Lucullus, Romæ anno mundi 3802. & 182. ante Chriſtum, auctis Prouincijs Populi Romani cæleberrimoq; habito triumpho de Tigrane Rege, & aliorum Principum.

15 Reginam Cleopatram circa annum ab orbe condito 3950. & 30. ante Chriſtum, inuitauit Ptolomeorum ad literas amor ad colligendos, quos Cæſarianus ignis non deuorauerat,

rat, libros in Serapeo, loco portui vicino, amplitudini erigendę Bibliothecæ tàm doctæ Mineruæ addicta, quàm impudicæ Veneri dedita conſultò ſtuduit, Attalicam, ab Attalo Rege conſtructam ad numerum ducena librorum millia, ſiue pergamenam ab Vrbe Pergami Biblicthecam illuc transferens;

16 Peculiarem publicæ Bibliothecæ ſtruendæ curam M. Varroni pręſcripſit Iulius Cæſar, ſed nulla fuit, niſi Auguſtus eius ex adoptione filius paterni deſiderij verè auguſtiſſimus Executor manum addidiſſet in Monte Auentino, qui hodiè Mons Sanctæ Sabinæ nominatur, ſingularem librorum tabernam erigens deambulatorijs ad Vtentium Commodiorem vſum exornatam porticibus, ſub prudenti *Aſinij* Oratoris, Senatoriſque Romani directione ex Dalmatiæ expugnatæ ſpolijs affluentèr locupletatam; paulo antè Natiuitatem Chriſti, & circa annum Mundi 3970. Nec hìc tanti Imperatoris ſtetit conſilium, qui ad maiora ſemper aſpirans binas alteras Auentinæ parùm inferiores publicauit, quarum vnàm à Sororis nomine Octauiam, alteram à Monte Palatinam appellari voluit, quarum Cuſtodijs, ex Imperiali decreto pręfuit *Caius Iulius Hyginnius Inſignis* Grammaticus.

17 Tiberio Imperatori non deſunt Auctores, qui alteram in Palatino Monte extruxiſſe memorant circa Annum decimum ſui Imperij, vigeſimum Chriſti, & 4004. à Creatione Mundi; Sed magis veriſimile, quod ab Auguſto inceptam vel ampliauerit, vel abſoluerit ille.

18 Pacis Templo annexam fundauit alteram in foro Romano Veſpaſianus, circa Annum eius Imperij 6. & Chriſti 77. & Mundi 4050. quaſi innuere intenderit, nullum fructuoſius ad litteras capeſſandas hominibus ineſſe, quā pacis.

19 Neronis crudelitatem Roma non ſenſit, dùm plurimis Bibliothecis, quæ in Priuatis Ciuium Domibus erigebantur,

Virtu-

Virtutum omnium ſplendeſceret incrementum; Verùm Catoniano ſupercilio illos increpauit Seneca Bibliothecis tamquam in ſpectaculum potiùs vtentes, quàm in ſtudium: poſtquam autem nouæ condendæ Vrbis, & cognomento ſuo appellãdę deſiderio exęſtuans Nero Romam traddiderat flammis, offenſus vt ait *Suetonius*, *& Dio in Nerone* deformitate veterum ædificiorum, & auguſtijs flexuriſque vicorum, quod incendium cum ſex continuis diebus fuerit depaſtum, vt ex quatuordecim Regionibus quatuor dumtaxat integrę remanſerint, & cum opibus tot victorijs quæſitis ferè omnes Bibliothecę, & monimenta ingeniorum incenſa remanſerunt Anno Chriſti 65. & Mundi circa 4050. Neronis 9. Nil mirum, ſi illarum iniurias minimè potuerunt effugere & codices, ex quo omnis ſceleris conſcia mox incepit Imperij Maieſtas debacchari.

20 Romanorum omnium Principum citrà controuerſiam optimo Traiano alteram in eius foro ædificaſſe placuit, cui nomen à proprio cognomine *Vulpia* dedit, circa Annum eius Imperij 10. & Chriſti 108. & Mundi 4092. quam in collem Viminalem, qui hodie Portam Sanctæ Agnetis in ſe aperit, Thermas ornaturus Diocletianus traduxit.

21 Alteram in Capitolino Monte propè ſuam, quam ibi conſtruxerat, ædem cumulauit Domitianus, quam Imperantis mox Commodi tempore fulmineum incendium redegit in cineres. Teſte *Euſebio*, *& Dione*, *nec non Baronio* Anno Chriſti 189. Commodi Imper. 8. & Mundi circa 4163.

22 Conſtructæ à Gordiano 11. Imperatore circa Annum 240. poſt Chriſtum Bibliothecæ ſexaginta duo librorum millia fuere commiſſa; quorum maiorem partem Imperarori reliquit in legatum Geminicus Gammonicus.

23 Alexandrum Hyeroſolimorum Epiſcopum pro fide in carcere mortuum Nobilem Bibliothecam indicta Ciuitate

ere-

erexiſſe conſtat circa Annum Chriſti 253. & Euſebij Cęſarienſis Hiſtorici tempore viguiſſe teſtat. idem *Euſ. 6. Hiſt. 32. &* *Baro. ſub dict. Anno 253.*

24 *Scaligeri* auctoritas *viginti nouem* recenſuit Conſtantini florẽte Imperio erectas Bibliothecas Romæ circa Annum 9. eius Imper. & 314. Chriſti, verùm de his nullum ſupereſt, & nominis, & memorię monimentum; hoc quidem certiſſimum, quod in Thermis publicis illarum aliquot ſtatuis, & varijs Illuſtrium Virorum ſimulacris adornatæ recondebantur.

25 In Thraciæ Prouincia celebris erat Bibliotheca Byzantij noua Roma appellata centum viginti mille ditata voluminibus Baronio teſte, quæ facta, & congeſta ſub Conſtantino Imperatore, qui ea in Ciuitate deducta Imperiali Sede cum multis familijs Romanis quaſi Imperialem Coloniam Conſtantinopolim vocauit Anno 324. à Chriſto nato; Verùm diſcordia eius filiorum (circa Annum Mundi 4321. & à Chriſto nato 340.) nempe Conſtantini: Gonſtantij: & Conſtantis Imperatorũ Imperij illius deplorabili declinatione, & multò magis incendio famam amiſit, & nomen dum combuſta remanſit à plebe in odiũ Baſilij Imper. teſte *Zonara, & Cedrena* circa Annum 476. à Chriſto nato, cęterum refecta, & cumulatiori; nam aucta erat ad trecena, ac tria volumina, Imperator Leo Iſaurus in odium Sacrarum Imaginum eam combuſſit cum Bibliothecarijs, qui magni nominis erãt Conſiliarij, hocque Anno à Chriſto nato 726. teſte *Zonara Cedreno, & alijs*.

26 Georgium Epiſcopum Alexandrinum (qui an martir, vel occiſus tantùm dicendus ſit agit Baronius ſub Chriſti Anno 362.) copioſam Bibliothecam collegiſſe Alexandrię, & Imperatorem Iulianum Apoſtatam ad ſe mittendam curaſſe, teſtantur *Socrates lib. 3. cap. 1. & Iulian. epiſt. 9. & 30.*

27 Euerſo demùm poteſtatis Romanæ, & occidentali Imperio deplorabilẽ ſatis caſum ſcientias paſſas fuiſſe atteſtantur

tot ite-

tot iteratæ,vel ad triginta duas Vrbis deuaſtationes, quarum infœlici exitu Bibliothecæ,quà communes,quà priuatæ finem habuere: At in Orientali Imperio ſub Barbaro Turcarum Imperatore, & finitimis Regibus virtutes omnes, & conſequenter Bibliothecæ extinctæ penitus, remanent: Verùm iterum in Occidentali Imperio, & per totam Europam refloruerunt virtutes,& Bibliothecæ,vt ex enumeratione nonnullarũ patet.

28 Cum verò firma ſui iuris,& dominij iecisset fundamenta Sancta Romana Eccleſia in Summorum Pontificum ad Almam Vrbem regreſſu, quæ Vaticana mox appellatur, Bibliotheca ab exiguis profecta principijs ex officioſa nonnullorum Pontificum in pace conſtitutorum erga litteras propenſione cœpit adeò excreſcere, vt iam ſingularitate,& magnitudine laboret ſua: Illius enim incremento nauitèr conſuluiſſe Sixtum IV. ſed præſertim Sixtum V. fidem perhibet indubiam, qui eius de geſtis incorrupta adhùc conſeruans monimenta per omnium manus circumfertur, impreſſus liber. Sed & in *Clemente VIII.* Summa animi enituit clemẽtia,& ad virtutes amor dum pretioſam, quam *Andreas Fuluius Vrſinus* in re litteraria verſatiſſimus congeſſerat, librorum ſupellectilem ſimul cùm manuſcriptis ab *Eminentiſſimo Odoardo Farneſio Collectis* perſtuduit ad *Doctiſſimi Cardinalis Baronij* preces in Vaticanam transferri. In hac preterea ſelectiora ex *Cardinalis Altemps* Bibliothecà iterùm exarata manuſcripta repoſuit *Paulus V.*, cui Heidelbergenſem aſportauit, quo tempore Co. Rheni Palatinus Elector exauctoratus, quod Boemiæ Regno vſurpatione fuiſſet potitus, proprijs ſtatus confinijs fuit proſcriptus, ſplendorem tamen ab hac illa contraxit; depoſitatis ibidem tercentum Græcis Voluminibus Manuſcriptis. Aſtitit, & *Vrbani VIII.* benefica ſibi Vrbanitas, qui pluribus Græcis Codicibus in Collegio Græco aſſeruatis illam locupletauit, cuius Cuſtodiæ cum fuiſſet ab eo

ſuffectus in Propręſidem Leo Allatius Doctrinæ Græcę ſciētiſſimus, numerati ſunt *ſex mille manuſcripta*, quorum abſolutiſſimus Index ad Cardinalis Ruſticutij Bibliothecarij nutum expectabatur, verùm, quo caſu, infortunioue in lucem non prodierit, ex quo & adhùc deſideratur, omni ex parte incertum.

29 Nec carent ſua Maieſtate Regum Bibliothecæ, quas intèr plures coronata modò ſuperbit, quam in Monaſterio Sancti Hieronymi ad Sāctum Iodocum vulgo *Eſcuriale Philippus II. Potentiſſimus Hiſpaniarum Monarcha* regia olim munificentia conſtruxit; Græca in hàc & Latina manuſcripta ad numerum *ſeptem mille* recenſentur ex ſparſis Hiſpaniæ, & Italiæ Bibliothecis affluentèr recollecta, quin & eidem in tributum ſuos dedit libros *Cardinalis Sirletus* in doctrina ęquè, ac in purpurà Eminentiſſimus, dùm huius Bibliothecam, quam parauerat *Cardinalis Aſcanius Columna* ad ſuas manus perueniſſe eminenti, qua eius animus niteſcebat, liberalitate tanti Regis pedibus in donum ſtitit; immò fama adhùc tenet, ad hoc librorum Theatrum ſiuè augendum, ſiuè exornandum binas inſignes Bibliothecas concurriſſe, vnam ſcilicèt, quam *Tarraconenſis Archiepiſcopus Antonius Auguſtus* Virtutum nitore Illuſtriſſimus aperuit; Alteram verò, quam Don N. Ipſius Potentiſſimi Hiſpaniarum Regis Legatus apud Venetos ipſi reliquit ex vltima voluntate. Ter inſupèr mille Arabicos codices conſeruat Medicinæ, Aſtrologiæ, Chirurgiæque ſecretiora edocentes, & quæ poſtremis his duabus facultatibus inſeruiunt, inſtrumenta graphica impreſſione deſignata mirificè exponentes: Philippo Tertio fors arriſit illos obtinuiſſe, dùm initi cum Iuliæ Cęſareæ vulgo Algeri Rege belli tumultuoſus ſuaſerat timor Tunetis Regem in neſcio, quam benè munitam arcem deportari ad cuſtodiam libros, quos Auſtriacæ indè naues deprædatæ fuerunt. Regio edicto

vnicui-

vnicuiquè vetitum, ne ſinè ſpeciali Regis reſcripto extrahantur, minuſquè deſcribantur manuſcripta, hac lege Bibliothecæ tam inſignis integritati Conſulentibus Principibus.

30 Populoſam librorum familiam in Bibliotheca Pariſieſi ſuo dederunt Populo *Chriſtianiſſimi Galliarum Reges*. Ex tot nouiſſimè huic præfuit Præſes ille *Tuanus*, cuius decollationem plùs fama promulgat ex inuidia, quàm ex culpa profectam, in hiſtoriæ ſcenico apparatu, quam de alijs conſcripſit, veracem ſuæ vitę fabulam peregit, cuius in locum ſubrogatus dein *Cauſabonus* Regiæ ſubditas priuatorum *Trapezuntij*, & *Laſcaris* non ſinè ęrarij Regij diſpendio paratas addidit.

31 Et ſuam non contemnendæ laudis gloriatur *Anglia*, quę ſi oculos hæreſi clauſos ad Catholicæ fidei lucem rurſus aperiret, primæuę illius Sanctitatis, qua ſuo cùm populo floreſcebant Reges, recordata, diſſipatis profectò tot opinionum erronearum, quot capitum volubilium tenebris in ſuiſmet non minùs libris, quam cordibus ſplendeſceret adhuc Euangelica veritas. Detur hæc venia Henrico illi, qui ſe Eccleſiæ Anglicanæ Summo Prædeceſſorum illibatæ fidei cum detrimento faciens Caput, vnde pedes poſuit, ipſe cum ſua poſteritate ignorauit. Vtinam perduellis iſte Deo contumax labores, quos in cumulandis libris inſumpſit, in extirpandis hæreſibus impendiſſet. In diuerſas enim Mundi regiones eam, quam potuiſſent, codicum copiam collecturos legatos conſultò deputauit, & velificatam ex Byzantino littore librariam nauim, Arabicis, Græcis libris, Sanctorumquè Patrum plurimis Epiſtolis ex illius Vrbis Patriarchę munificentia refertiſſimam deonerauit, in quorum cenſu Epiſtola conſeruatur *Diui Clementis Papæ ad Corinthios* declamata potiùs ab Eminentiſſimo *Baronio volum. 2. Annalium*, quàm deſiderata, quamquè Anno 1657. Typis impreſſam, notiſque expoſitam illuſtrauerat N. renuntiatus huiuſce Bibliothecæ Præfectus.

32 Magnæ Vrbis Mediolani nimis reſtringeretur immenſitas, niſi conſpicuæ Bibliothecę peculiarem circumſcripſiſſet locũ, ſuperbæ cuius erectioni humilitas *Caroli Borromæi Sanctitate Em.* primũ inſudauit, qui nobilem propriã Bibliothecam, & nobiliorem propter annotationes multis libris Sanctorum Patrum eius manu exaratas inſigni ſuo Capitulo Metropolitano reliquit: Mox auitę humilitatis Æmulãs Cardinalis *Federicus Borromæus Archiepiſcopali infula Mediolani pariter redimitus* ſuam & operam generosè impẽdit, non gentilitium illi nomen indicens, ſed ab Ambroſio Eccleſiæ Doctore, & Mediolanenſis Eccleſiæ Patrono, & Archiepiſcopo Sancto *Ambroſianam appellans* ſciẽtiarum tam diuinarum, quàm humanarum famę tabeſcentibus ſic daturus Ambroſiam; Quam cum exoticis libris replere anhelaſſet Eminentiſſimus Federicus, ſtatuit Viros omni virtutum, linguarumque genere Eruditiſſimos, qui Calicibus, patenis, variaquè Eccleſiaſticis ritibus inſeruiente ſupellectili inſtructi ad Monachos, Epiſcopoſquè Græcos in Aſiam, Græciamquè ſe conferrent, ſeligere, vt intercedentibus muneribus ſecum allatis, aùt pretio vberiorem prò eorum viribus Græcorum Codicum, Arabumquè, & Sanctorum præſertim Veterum Patrum Meſſem recolligerent, vt euenit. Situs, in quo illa eſt, ſpatioſitas ad tres è Terra cubitos erecta, proportionato feneſtrarum ordine deſupèr illuſtrata, ſcrinijs ex nobili ligno prò librorum qualitate vtrinquè decuſſatis compoſita, ligello ad libellos commodè capiendos deambulatorio exornata, viuo Sanctorum Patrum Doctorum quà Græcorum, quà Latinorum, Diuorumquè plurimorum ſimulacro picturata ædificij nobilitatem circumquaquè ſpirat. *Manuſcripta duodecimmille*, typis commiſſa *quadraginta ſex mille* enumerata fuerunt volumina Anno 1645., ſequentibus Mox annis, cùm librorum copiæ, qui totius ferè Orbis partibus huic in dies aduehuntur

minimè

minimè reſponderet huius loci capacitas, alterius aulæ amplitudo fuit in illius ſupplementum ſubſtituta Anno 1660. Publicæ ciuium commoditati præſcripta earum dierū ferè omnium ferialium, quibus aperitur, hora aditus non denegatur: Plures ſunt, qui huius loci oeconomię præſunt, ad cuſtodiam enim inuigilat Bibliothecarius totius regiminis ſupremus, hunc inſequitur Vicarius; librorum diſtributor alter inſiſtit, munditiei,& detergendo pulueri deputatur famulus. Sedes, & tabulæ ad legentium,ad ſcribentium verò vſum thecæ atramentariæ, & papyrus offeruntur. Inſtitutum quoquè adeſt ſibique finitimum Collegium, in quod ſex olim cooptabantur, modò ob prouentuum tenuitatem quatuor dumtaxat laureati Presbyiteri, quorum vnus Gręcæ traductioni deſtinatur, Hebraicæ expoſitioni addicitur alter, alius Arabicæ incumbit, alter deniquè, qui rerum dignam ſcitu eruditionem operoſiori labore conſcribit; Ab omnibus menſtrualia de eorum exacto ſtudio comitia celebrantur, quę Reipublicę litterariæ magno ſunt emolumento. Reddituum, quibus ſuſtentatur, adminiſtrationem Eccleſiaſtici ſibi reſeruant, hiſce tamen præeſt vnus ex familia Borromæa; Eminentiſſimus Fedricus binas aperuit Magnas Aulas Muſæo excellentiorum Picturarum, & Sculpturarum conſtruendo aptiſſimas, vt in illarum vna iam modò conſpicitur, in altera perfectio deſideratur.

33 Bibliothecam in Palatij *Barberini* Summitate ab *Eminen. Card. Franciſco huius Cognominis* Vrbani VIII. Nepote ex fratre apertā nouiſſimè iactat Roma; *viginti quinque mille libros* refert ſelectiſſimos, ex quorum copia *quinquies mille Manuſcripti Codices* detrahuntur; aſſiduis cuſtodibus aſſiduoque rectore deſtituta, & in altum nimis conſtructa, vt diſponunt leges benè conſtruendi Bibliothecas; vndè adeuntes melius ad pompam inuitat, quàm adeuntes Quirinale Palatium, vbi nunc reſident Summi Pontifices. Quam bellè, &

commodè poſſent tot Aulici ſtudijs inhærere, & commodo, & fructu illius Bibliothecæ gaudere.

34 Inuoluenda nec eſt ſilentio illa, quam Pariſijs fundauit *Eminentiſſimus Cardinalis Iulius Cæſar Mazzarinus*, quem in Vnicum duorum Maximorum Regum Hiſpaniarum ſcilicèt, & Galliarum Pacis Caduceatorem totus terrarum Orbis condigno nutu veneratur; Huic in dote conſtituenda ex pretioſa librorum ſuppellectili auro nec pepercit, nec diligentiæ, *ex Archiepiſcopo Treuirenſi* quadraginta repletas manuſcriptis arculas ſibi deferri curauit, tot præter alios Codices, quos ex *Cardinalis Richelieù Muſæo*, alijſque Galliæ Prouincijs vindicauit. De hac ſatis, Indicis enim Impreſſio diſtinctiorem librorum tùm quo ad numerum, tùm quo ad Auctores notitiam fideli narratione legentibus communicat.

35 Virtutum omnium Nutricem fama prædicat *Sereniſſimam Mediceorum Familiam* ex tot benè geſtorum argumentis in vnica Bibliotheca propè Diui Laurentij Templum conſtructa à Laurentio, qui mundo in filium dedit mitiſſimum Leonem X. Summum Catholici gregis Paſtorem. In hac librorum ſingularitas compenſat multitudinem, vt ex eius Indice Antuerpiana impreſſione congeſto licet obſeruare.

36 Sereniſſimæ dederunt quoque humanitatis non obſcurum erga literas argumentum Duces Bauariæ Bibliothecam plurimis manuſcriptis locupletatam magnificè erigentes, huius indicem typis commiſit Ingolſtadij Georgius Vuiler Anno 1602.

37 Principum, Dynaſtarumquè Æmulatrices quàm multæ Ciuitates, & Academiæ celeberrimas aperuerunt Bibliothecas; præſcripto titulo *Bibliotheca Oxoniæ, & Cantabrigiæ* Indicem Londinij impreſſum Anno 1600, in duoſq; Tomos digeſtum publicauit *Thomas Ioannes Thaines*.

38 *Leydenſis Vniuerſitatis* inſignius ornamentum Bibliotheca

theca eſt plurimos ex oriente manuſcriptos Codices allatos ſeruans; tàm floridæ Academię in legatum reliquit propria manuſcripta *Ioſeph Scaliger ex Iulio Cæſare*, qui ſcientiarum anima appellabatur, natus, inter quæ connumerabantur Hebraica, Syriaca, Arabica, Græca, & Latina: Pariſienſibus Typis obſignatum Indicem euulgauit *Iacobus Golius Anno* 1630 in eadem Academia linguarum Fidiſſimus Interpres.

39 Reipublicæ Auguſtenſis *Auguſta reſeratur Bibliotheca*; plurimos, & ipſa refert libros, at Græcos Codices manuſcriptos ferè innumerabiles continet, ſi fides eſt *Indici* illius Auguſtæ paritèr impreſſo Anno 1595.

40 Nullum laboris genus, officijquè intermiſit impensè Doctus *Laurentius Pignoria* condendæ Bibliothecæ ad *Pataninenſis Vniuerſitatis* gratiam peculiari decreto conſtitutus. De eius manuſcriptis Cathalogum recenſuit Thomaſinus in ſuo, quem impreſſit libro, cui titulus *Bibliotheca Thomaſini*.

Sed ſuus iam orationi limes ſtatuatur, ne nullum inueniat exitum, finemque laboris, ſi per omnes quotquot totò orbe floreſcunt, bibliothecas excurrere permittatur. Nobis multiplici curà præpeditis campum aperuiſſe ſufficiat; otioſiora fortaſſis ingenia ampliores aditus obeundo comperient, quod paucis hiſce laboribus cumulatiùs adijciant de ſuò.

Interim cupienti bibliothecam prudenti ratione conſtruere, ne operam perdat, & oleum, bene conſultum adiudico, vt librum ab Societatis Ieſu Patre confectum adeat, cui titulus eſt *Claudij Clementis Soc. Ieſu Bibliothecæ Extructio, Inſtructio, Cura, & Vſus*, nec non & *Petri Blancos*, cuius eſt titulus *Idæa Bibliothecæ Vniuerſalis* Pariſijs impreſſa.

NVMISMATA, GRÆCA, ROMANA, PVNICA, Cretica, Smyrnenſia, aliaq; quamplurima probatioris tamen ſolummodò notæ, quæ in Septaliano Muſæo aſſeruantur.

Caput LXVI.

INcluduntur eodem Muſæo quinque ſcrinia, veriùs dixeris eruditionis ærariâ, quorum vtero multiplex numiſmatum cenſus continetur. Hìc cuprea, argentea, aurea, ex ære Corinthio, ex ligno quoque propter operis præſtantiam aurum pretioſius ſuperante numiſmata numerabis, *ſi numeri tamen patiens immenſa fuerit copia*.

Formarum quoque ſeries tàm varia cernitur, nulla vt deſiderari poſſe videatur. Vetera alia ſunt, quorum ſyllabum primo loco ſubijcimus, alia recentiora, heroum facies tùm bello, tùm literis illuſtriorum referentia; Principum, Imperatorum, Pontificum: Romana, Græca, Punica, Cretica, Smyrnenſia, & vtriuſq; Græciæ, aliarumq; Inſularum in Archipelago ſitarum notis, imaginibus, characteribus inſculpta. Decreuerat quidem poſſeſſor tàm nobilis theſauri poſſeſſione contentus numiſmatum nomina, formaſque ſilentio præterire, ſed importunis nobilium virorum precibus eluctari non valens, duplicem hunc qualemcunque, tumultuario velut opere congeſtum indicem temporum ſeriè non ita adamuſſin ſeruata è manibus elabi permiſit.

NVMISMATA VETERA.

1 *Pompeius*. Aliud eiuſdem cum Cornelia.

2 *Iulius Cæſar* cum Auguſto.

Cum lituo Pontificio inſigni.

Cum ſedente ſimulacro, cuius ad pedes alata fortuna; dextera tripodem ſuſtinet, Cornucopiam læua.

Cum Venere matre ex vna parte; aliam Minerua tenet trophæum geſtans, & obuolutum pedibus anguem habens cum epigraphe. *C. cloui Pras*.

Cum laurea corona inſcriptum gerente *Diuos Iulius:* ex oppoſito Auguſtus viſitur crinitum aſtrum infra mentum expreſſum habens.

Cum Auguſto, cuius ante ceruices ſtellæ ſuppoſitas fulguris imago micat.

3 *Auguſtus*.

Magnus Auguſtus.

Cum aurea Auguſti ſtatua.

Cum Dea Clementia, aut Liuia vxore *S.C.*

Cum Auguſto, & Agrippa, necnon Heumacenſi Colonia.

Cum Prouidentia, & *S.C.*

Cum Triumuiris monetalibus.

Cum circulo.

Cum imagine Auguſti ſedentis *conſenſu Senatus, & equeſtris ordinis*.

Cum Aquila.

Cum Prouidentia, & clauſo Iani templo.

Cum eodem Iani templo à Nerua reſtituto.

Cum eodem templo per Titum reſtituto.

Cum ſacro fulmine Iouis alati.

Cum laurea corona inſcriptum claudente *S.C.*

Cum eadem Corona, inſculpta voce *Auguſtus*.

Aliud cum inſcripto nomine *Diuos Iulius*.

Cum virili imagine caſſidem in capite, labarum in dexterā geſtante.

Cum inſcriptione *Pontif. Maximus Tribun Pon. XXXII.*

Cum prora nauali, & ſphæra.

Cum

Cum boue fœmina, & mari iugo ſubactis, & inſcriptione *Col. Iulia.*

Aliud ſimile, ſed cum alia figura.

Cum tauro in medio numiſmatis.

Aliud ſimile cum titulo *Domit. Pompe.*

Cùm Victoria lauream Auguſti ceruicibus imponente ex vna parte cum epigraphe *M. Manilius III. vir. A.A.A. F.F. S.C.*, ex alia cum Auguſto in ſimili ætatis forma, & inſcriptione *M. Manilio Tullus.*

Aliud cum inſcriptione *M. Saluio Otho. S.C.*

Aliud cum *C. Caſſius Celer S.C.*

Aliud cum *Gn. Piſo Gh. F. S.C.*

Aliud cum *Voluſus Valer. Meſſala S.C.*

Cum laurea corona, quam duo Capricorni ſuſtinent, & inſcriptione *Diuo Auguſto ob ciues ſer.* ex vna parte; alia verò facies Tiberium Cæſarem exprimit, & *S.C.*

Cum corona ciuica, *ob ciues ſeruatos, & C. Albus C. f. Lupercus*; ex alio latere *S.C.*

Aliud cum inſcriptione *C. Marcil. T. f. Cenſorinus S.C.*

Aliud cum *Quintilius Criſpinus S.C.*

Aliud cum *C. Plotius S.C.*

Aliud cum *T. Criſpinus Sulpitianus S.C.*

4 *Numiſmata Græca.*

Cum temone, & Cornucopia Αππολλονιάτον ideſt *la Valora.*

Cum geminis ex vtraque parte capitibus. *rarum.*

5 *Marcus Antonius.*

Facies tùm Marci Antonij, tùm Cleopatræ ex vna parte; ex alia triremis cum tumentibus velis.

Aliud fere conſimile.

6 *Marcus Agrippa* cum Neptuno, & tridente.

7 *Liuia* cum facie Deæ Salutis, vel ipſius Liuiæ, cum inſcriptione *Salus Auguſta* iuſſu Tiberij cuſum eſt cum titulo *Ti. Cæſar.*

Cum

Cum facie Iuſtitiæ, aut Liuiæ cum *Iuſtitia*, iuſſu Tiberij cuſum cum *Ti. Cæſ.*

Cum capite Pietatis, aut Liuiæ cum *Pietas*, iuſſu Druſi cum *Druſus*.

Cum carpento à geminis mulis tracto in memoriam Liuiæ, iuſſu Tiberij.

Cum ſtatua ſedente Liuiæ, aut Deæ Clementiæ cum *S.C.*

Cum ſimulacro eiuſdem ſedentis, & haſtam, ac ariſtas manu præferentis cum *Diua Auguſta*.

Cum imagine ſedēte Deę Salutis, aut Liuiæ, iuſſu Tiberij.

Cum capite Deæ Pietatis, aut Liuiæ à Tito reſtitut. *rar.*

8 *Tiberius*.

Cum inſcriptione *Pontifex Tribun. poteſtate XII. S.C.*

Aliud cum *Pontif. Max. Tribun. poteſt. XXIV.*

Cum Mundo, & temone.

Cum caduceo alato.

Cum clypeo intra coronam concluſo, Deamque Clementiam continente cum *Clementia*.

Cum templo, & duabus Victorijs cum *Roma, & Augū.*

Cum alio templo figuris, & columnis ornato.

Cum Deę Pietatis imagine pateram manu geſtantis cum *Ciuitatibus Aſiæ reſtitutis*.

Cum corona querna, & *S.C.*

Cum laurea corona.

Cum triumphalibus quadrigis, quas quaterni trahunt elephanti.

Cum caduceo.

Cum curru à quaternis equis deducto.

Cum boue, & inſcript. *Lucio Fuluio Sparſo L. Saturnino*.

Cum Tiberij facie iuuenilis prope formæ vna ex parte; ex alia *T. Imp. D. Cæſ. Diui Veſp. Aug. Reſt. S.C.* rarum quidem opus, ſed ſuſpicione non vacans.

9 Græ-

9 *Græca*.

Cum facie Tiberij ex vna parte; ex alia cum Græca epigraphe coronæ inſculpta.

Cum Neronis capite radiante.

Agrippina.

Veſpaſiana.

Druſus, & filij.

Cum *Pontif. T. Poteſt. S.C.*

Cum duabus Cornucopijs incluſas geſtantibus binas effigies filiorum Druſi puerulorum.

Nero Claudius Tiberij frater cum figura ſedente.

Aliud ſimile ex ære Corinthio.

10 *Nero Druſus*.

Cum eius capite hinc inſculpto; illinc Claudio Imperatore, ſpolijſque, & trophæis, iuſſu Claudij cuſum.

11 *Antonia* cum eius effigie ex vnà parte, ex alia Claudij ſtantis, iuſſu Claudij.

12 *Germanicus*.

Cum *S.C. C.Cæſar diui Augſtui Pron. Aug.*

Cum capite Caij, & *C. Cæſar Aug. Germanicus*.

Cum *S.C. Claudius Cæſar Aug.*

Germanicus triumphans quadrigæ inſidens; ex alià parte eiuſdem Germanici effigies cum *ſignis receptis*.

13 *Agrippina*.

Cum carpento duobus mulis impoſito cum *Memoriæ Agrippinæ*.

14 *Caius*.

Cum tribus ſororibus Agrippina, Druſilla, & Iulia.

Cum allocutione ad milites.

Cum corona ciuica *ob ciues ſeruatos*.

Cum coloſſo.

Cum Dea Veſta ſedente.

Aliud

Aliud cum inſcriptione diſſimili.

Cum Pietatis templo, in quo Imperator litat, cum alijs ſiguris, & victimis, *diuo Auguſto*; ex alia parte Pietas deæ cum patera ſedet.

Cum capite Germanici patris.

Aliud conſimile, ſed diſſimilibus inſcriptum notis, ideſt *Germanicus Cæſar Pulchro III. Vario II. vir.*

Cum expeditione, aut decurſione Neronis, & *Druſo Cæſari*.

Aliud cum inſcriptione diuerſa.

Cum capite Caij in vno latere, in alio caput conſpicitur minimè coronatum cum inſcriptione *Cæſar Pulcro*; rari laboris opus.

15 *Græca*.

Quadrigæ ab elephantis deductæ, quibus vectus Imperator noctu triumphat ſub ſtellato cœlo.

16 *Claudius*.

Cum corona ciuica *ex S.C.P.P. ob ciues ſeruatos*.

Cum Cerere, ariſtis, & patera.

Cum ſtante Minerua vibrantis in morem, clypeumque læua geſtantis.

Cum facie Meſſalinæ vxoris.

Cum facie Agrippinæ alterius vxoris.

Cum facie Neronis priuigni.

Cum binis faciebus, Neronis ſcilicet, & vxoris Octauiæ; illinc verò cum Neronis ſolius capite.

Cum facie Agrippinæ fratriæ Germanici vxoris.

Cum Cereris ſimulacro, ariſtis, & patera.

Cum tribus militibus dexteras Imperatori porrigentibus cum *Spes Auguſta*.

Cum Libertate pileolo tecta.

Cum Conſtantia haſtam, & dexteram erectam tenente.

Cum

Cum Marte Gradiuo.

17 *Græca*:

Cum caduceo, & ariſtis.

Meſſalina cum capite Claudij non coronato.

18 *Nero* cum congiario.

Cum portu oſtienſi.

Cum Neronis arcu, & quatuor equis.

Aliud non abſimile diuerſimodè tamen inſcriptum.

Macellum Auguſti cum capite Neronis laureato.

Aliud cum radiante capite, diſcrepans à ſuperiore.

Neronis decurſio geminorum equitum.

Cum lectiſternio.

Cum allocutione ad milites.

Aliud aliquo modo diſſimile.

Cum Imperatore, aut Apolline Cytharædo cum capite laureato.

Aliud non diſſimile, ſed radiante capite.

Cum Genio Deo litante, & caput habente laureatum.

Aliud cum radiante capite.

Cum Roma ſuper exuuias ſedente, & Victoriolam in dextera geſtante.

Aliud ſimile cum diſſimili tamen epigraphe, & facie Imperatoris barbata.

Aliud ſimile, ſed diſſimiliter inſcriptum.

Aliud cum Roma lauream, vel pateram dextra geſtante diuerſa tamen inſcriptione inſignitum.

Cum clauſo Iani templo, & inſcriptione *Pace RR. Terra, Marique*.

Aliud ſimile diuerſimodè inſcriptum.

Alia duo diuerſa tamen inſcriptione exarata.

Aliud templum ſimile ſuperiori cum inſcriptione *Pace vbique*, & radiante capite.

Simile

Simile aliud diſſimilibus tamen notis inſculptum, cum capite radiante, & aliud cum laureato capite,

Cum Prætoria triremi, aut roſtrata naui cũ *Felicitati Aug.*

Cum tripode, aut Apollinis menſa, & duobus animalibus.

Cum victoria volantis in morem, & clypeum manu geſtante cum literis *S. P. Q. R.*

Simile aliud cum diſſimili inſcriptione, & capite minimè coronato.

Alia Victoria Gradiua ſertum manu præferens.

Cum Fortuna, & Cerere, varijſque figuris *Annona Auguſti Cæſar.*

Cum Dea Securitate ſedente, & radiante capite.

Alud ſimile, laureato tamen capite, & diſſimilibus notis.

Cum Claudij facie.

Cum curru, & binis equis ſibi inuicem aduerſantibus, ſeque conuerſis capitibus reſpicientibus, cumque triumphante Imperatore lauream manu geſtante.

19 *Græca.*

Cum capite: Poppeę Coniugis.

Cum Imperatoris Tiberij capite, & *Cæſar.*

Cum Serapide Deo modium ſupra caput geſtante.

20 *Octauia.* Cum capitibus tum Octauię, tum Neronis infra Solis, & Lunæ imagines expreſſis; ex oppoſito viſitur Neronis caput.

21 *Poppæa* ex vna parte; ex alia Neronis caput cum *Nero.*

22 *Galba.*

Cum ciuica corona, & inſcriptione *S. P. Q. R. ob ciues ſeruatos.*

Cum allocutione Imperatoris ad milites.

Aliud ſimile diuerſa tamen epigraphe.

Cum ciuica corona, & inſcriptione à ſuperiore diuerſa.

Cum alata Victoria, & *S. C.*

Cum

Cum Concordia Dea, ramo, & haſta.

Aliud ſimile diſſimilibus tamen notis inſcriptum.

Cum Pace.

Cum Libertate.

Aliud ſimile diſſimiliter inſcriptum.

Aliud ſimile, diſſimili tamen facie, & epigraphe.

23 *Otho*.

Cum Dea Seueritate; recentiore tamen forma.

Aliud paruulum; egregia tamen ſandaracha perpolitum.

Aliud cum allocutione, ſed forma prope detrita, nec tamen certa.

24 *Vitellius*.

Cum geminis liberorum capitibus Petronij, & P. Vitellij, *Liberi Imp. Germa*.

Cum Roma trophæis inſidente.

Cum alata Victoria, & palma è regione poſita.

Cum Marte Gradiuo, & *S.C.*

Cum Dea Pace.

Cum Honore, & Virtute, & *S.C.*

Cum Prouidentia.

25 *Veſpaſianus*.

Cum triumpho, quem quaterni ſuſtinent elephanti, quatuor item figuris currui impoſitis, & Muliere ſedente Victoriam in ſiniſtra geſtante cum *S. P. Q. R.* ex ære Corinthio.

Cum Marte humeris trophęum deferente, haſtamque in dextera cum *S. C.*

Cum Iudæa captiua ſub palma, & Honore è regione conſtituto.

Cum eadem, & trophæo, ac milite vincto.

Cum Roma reſurgente.

Cum Roma ſtante, Victoriamque manu gerente

Cum Templo, & quatuor columnis multiplici figura interſtinctis.

Cum

Cum triumpho, quaternis ſcilicet elephãtis ſedentem Imperatorem in quadriga deferentibus.

Cum circo, varijſque pyramidibus, & figuris.

Cum Aquila ſupra Mundum ſtante cum alis extenſis.

Aliud ſimile cum diuerſa epigraphe.

Cum alata Victoria roſtro nauis innixa, coronam in dextera, in ſiniſtra palmam geſtante cum *Victoria naualis*.

Cum Gradiuo Marte trophæum humeris deferente.

Cum caduceo inter gemina diuitiæ Cornua.

Cum Romulo, & Marte victore.

Cum alata imagine Cupidinem referente.

Cum Victoria clypeo inſcribendo intenta.

Aliud cum corona ſupra trophæum porrecta.

Cum ciuica corona.

Aliud cum corona cum *S.P.Q.R.al.ſeruorum libertatis*.

Cum geminis Titi, & Veſpaſiani armatis imaginibus.

Cum Dea Felicitate.

Cum Pace oleam, & Cornucopiam geſtante.

Aliud cum olea, & bacillo.

Cum Dea Æquitate ſtateram ſuſtinente.

26 *Domicilla*.

Cum carpento à binis mulis deducto in memoriam Domicillæ, iuſſu Titi cuſum.

27 *Titus*.

Cum Roma ſtante victoriolam dextera ſuſtinente.

Cum Imperatore equitante, cui Roma orbem porrigit.

Cum equitante Imperatore, qui captiuum necat, & deijcit.

Cum geminis figuris dextera globum geſtantibus *Prouidentia Augusta*.

Cum tribus ſimulacris, quorum duo inſertis inuicem manibus, aliud velatũ adeſt ſub *S.C.*, circa limbum *Pietas Aug.*

Cum Prouidentiæ Templo.

Cum quadrigis ab Elephantis deductis, & ſuperimpoſitum Imperatorem deferentibus.

Idem Anno XXI. cum tribus figuris ex alia, Dea ſcilicet Flora ſedente inter hominem clypeo, & galea protectum, & mulierem cum. *Fortiter regit, prudenter patitur* Aur.

Idem Anno IV. cum Angelo armato ex alia, & *Angel. Cuſt. veſp. & mane* Aur.

Aliud argenteum.

Idem Anno IV. cum Dedicatione D. Petri ex alia, & Pontifice, cum Cardinalibus, & alijs cum inſcriptione. *Sancti Petri Baſilicæ conſecratio* Aur.

Idem Anno XIV. cum ornat. Conſtantia, & lauacro inſtaurato.

Idem

Idem Anno xx. cum nouis propugnaculis ex alia, & *additis Vrbi propugnaculis* Aur.

20 *Innocentius X.* Pont. Max. cum foro Agonali ex alia, & Obeliſco Pamphilio *abluto aqua Virgine* Aur.

Idem Anno v. cum Capitolino ædificio. *Ædificat, & cuſtodit* Aur.

Idem Anno ix. cum *Agneti Virgini, & Martyri Sacrum* Aur.

Idem Anno v. cum habitu Pontificio, ex alia D. Petrus in nube claues manu tenens cum inſcriptione. *Vt theſauros anni ſanctioris tecum aperiam* Aur.

Idem cum Palatij facie. *Ædificat, & cuſtodit.*

Idem Anno i. ex aduerſo crucem gemini Angeli deferunt cum. *Tempore fructuum*.

Idem Anno i. ex oppoſito Chriſtus Dominus D. Petri pedes abluens cum. *Vt Dominus, & Magiſter*, inferiùs *exemplum dedi vobis*.

Idem cum Beata Virgine ex alia, & *vnde venit auxilium mihi*.

Idem cum Cruce.

Idem *Innocentius X.* Pont. Max. cum Agonali Fonte, & Pyramide.

Idem cum Porticu Capitolij.

Idem cum Baſilica Lateranen.

Idem cum Baſilica Apoſtolorum.

21 *Alexander Septimus* cum tranſtyberino fonte ex alia, numiſma binis vncijs latum.

Idem cum Leone in theatro ex alia, cui miles ſpinam euellit è pede cum. *Fera memor beneficij*, Auctore Dominico Iacobaccio; eiuſdem magnitudinis cum ſuperiore.

Idem cum periſtylio, & geminis fontibus.

Idem cum periſtilio, & vno tantum fonte cum. *Fundamenta eius*

ta eius in montibus ſanctis.

Idem dum in Pontificem coronatur. *Infrà coronat.*

Idem cum frontiſpicio in honorem Diui Thomæ Archiepiſcopi Villanou. cum in Sanctorum numerum referretur.

Idem cum frontiſpicio, & *D. Nicolao Miræ Epiſc.*

Idem cum Chriſto Domino Petri pedes abluente; ex alia. *Vt Dominus, & Magiſter.*

Idem cum centum cellarum imagine, & *nauale centum cellà.*

Idem cum Chriſto Domino. *Viuo ego, & iam non ego.*

Idem cum diuerſis figuris ex alia, & Angelo gladium tenente, & mortem cum, *Vt vmbra illius liberabuntur.*

Idem in oppoſita facie Iuſtitiam habens, & Pacem. *Iuſtitia, & Pax oſculatæ ſunt.*

Idem cum frontiſpicio Sapientiæ. *Omnis ſapientia à Domino.*

Idem cum nouo Pacis frontiſpicio. *Da Pacem Domine in diebus noſtris.*

Idem cum ingreſſu Suecorum Reginæ, & *Fel. Faus. Q. Ingreſſ.*

Idem cum Angelo ſtante ſupra hominem, & libello in manibus *Populum religione tuetur.* Aur.

CARDINALES, ARCHIEPISCOPI, EPISCOPI, ALIIQVE PRÆSVLES.

22 *Franciſcus Gonzaga* Mant. Liberalitatis, ac Romanæ Eccleſiæ Iubar ex alia parte Pyramis adeſt cum cane, & in cuſpide arcus cum pharetra.

Ioannes Cardinalis Lotharingus. Ex aduerſo mulier ſtat cum circino in dextera, & ſpeculo circulari in ſiniſtra, atque Dracone ad pedes cum. *Sic itur ad aſtra.*

Iulius

Iulius Car. Mazarinus. Ex alia parte Atlas, & Hercules mundum ſuſtinentes cum epigraphe. *Hi duo, ille ſolus*. Numiſma ex duabus vncijs Dianetri.

23 *Iacobus Car. Satellus*.

Antonius S.R.E. Card. Granuelanus ex alia Nauis inter vndas. *Durate*.

Antonius Perenottus Atrebatenſis Epiſcopus; ex aduerſo furens Neptunus, & nauem demergens. *Durate*.

Idem Card. Granuellanus cum naue in Mare. *Durate*.

Franciſcus Car. Mignatellus Epiſcopus Lucenſis; ex oppoſito ſphæra cum Angue prope Zonam in aqua, & nubibus. *Lacrymarum fluctus, & amaris*.

Iulianus Epiſcopus Oſtienſis Card. Sancti Petri in Vincula, ex aduerſo *Clemens della Rouere* Epiſcopus Mimatenſis.

24 *Antonius Card. Barberinus*. Ex aduerſo Pegaſus.

Petrus Card. Bembus. Ex alia Pagaſus.

Dominicus Card. Grimanus. Ex alia mulier ſtans palmæ innixa, & alia alteri arbori aſſidens cum Theologia, & Philoſophia ſedentibus.

25 *Scaramucia Triultius Car. Firmi primi Fil.* ex alia figura ſtans cum circino in manu, & ſpeculo, atque ad pedes Dracone. *Hæc ſola dominatur*.

Idem Commen. *Ioannis Firmi primus F.*

Ioannes Franciſcus Perenottus. Ex aduerſo manus digito Veronam oſtentans. *Anna Per.*

Ioannes Card. Moronus. Ex alia geminæ figuræ, quarum vna columnam amplectitur, alia circinum manu defert; cum vaſe ad pedes, & cum palma *Virtute, & Conſtantia*.

Chriſtophorus Madrucius Card. Epiſcopus, & Prin. Triden. ex aduerſo ſol in aquis reflexus cum muliere ad pedes ſolem indicante.

26 *Theodorus Triuultius* S.R.Imp. Muſochi. & Val. Meſ. Prin.

Prin. ex aduerſo gentilitium ſtemma Triuultiorum aliud cum vna ſola facie inſculpta.

Aſcanius Card. Sfortia Vicecomes S.R. & Vice Cancellarius. Ex aduerſo mulier litans. *Sacer, & Cocus ite profani.*

Franciſcus Maria S.R. Card. Brancacius.

Franciſcus Card. Albicius. Ex alia Hercules Cerberum occidens. *Hic tres, ille duas.*

Card. Roto. S.R.E. Am. Deſtoneuille Epiſcopus Oſtien. ex aduerſo gentilitia eius inſignia.

27 *Alidoxius Card. Papien.* Bonon, Romandiolæque C.L. Fra. ex aduerſo Iupiter à geminis Aquilis deductus. *His auibus curruque cito duceris.*

Ludouicus Card. Ludouiſius S.R.E. Vice Cancel. fundauit ex aduerſo frontiſpicium Templum D. Ignatij.

Idem Ludouiſius S.R.E. Vicecancellarius Fundauit A.D. 1626. cum facie Templi Ignatiani *Fragilem arenam iacimus, vt domum fundemus*, grandioris formæ.

Alexander Card. Farneſi. Vicecancellarius. Ex aduerſo frontiſpicium Templi Ieſu. *Homini Ieſu Sacrum* Aur.

28 *Federicus Epiſcopus* Præneſt. S.R.E. Card. Ceſius. *Ex aduerſo D. Catharinæ Templum*, cum frontiſpicio eiuſdem Templi Aur.

Matthæus Card. Archiepiſc. Salisburgi 1523. Ex aduerſo gentilitium eius ſtemma Arg.

Henricus Septala Archiepiſc. Mediol. ex alia Ciuitas obſeſſa cum Cruce radiata in Cęlo. *Iuncto fœdere Damiata capta* MCCXXIIX.

Altobellus Aueroldus Epiſcop. Polon. Bononiæ, & Cę. Ten. Guberna. Ex aduerſo Gubernator ſedens, & binæ figuræ, cum cornucopia, & alia figura Imperatorem alloquens. *Matura Celeritas.*

29 *Erneſtus Auguſtus* Dei G. Epiſcopus Oſnaburgenſis

Dux

Dux Branſui. & Lunembuurg. cum ſuo ſtemmate. *Sola bona, quæ honeſta*. Argent.

Alphonſus Litta Archiepiſc. Mediolani.

Franciſcus Panicarola Epiſcopus Aſtienſis Concionat. celeberrimus.

Franciſcus Mar. Septala Epiſc. Viterb. Ex alia manus geſtans virgam Sixto. P.M. *Vmbria moderata*.

IMPERATORES, ET REGES.

30 *Carolus V. Aug.* Ex alia parte mulier ſedens inter ſpolia, cum circulo inter manus, & inſcriptione. *S.P.Q.Mediol. O.Princ.* Arg.

Idem cum duabus columnis ex alia, & in medio ara cum angue ſe extollente, & muliere, quæ illi propinat liquorem. *Salus publica*.

Idem Dei Gra. Rom. Imper. Rom. ſemper Aug. Rex Hiſpan. Anno Salutis 1525. Ex oppoſito gentilitium ſtemma, cum duabus columnis. *Non plus vltra*.

31 *Ferdinandus cum Vxore* Anna Imper. ex oppoſito gentilitium ſtemma. Arg.

Ferdinandus Rom. & Hunga Bo. Rex ex vna parte; ex alia Maximilianus Archidux Auſtriæ.

Maximilianus Rom. Imper. ſemper Auguſtus. Ex alia parte Aquila cum orbe, quem vnguibus tenet. *Domus Prouidentiæ*. Argen.

Maximilianus Imperat. cum ſuo ſtemmate.

32 *Ferdinandus III.* D.G. Rom. Imperator. Ex oppoſito lances pro manubrio Crucem habentes cum ſceptro; & gladio. *Firmamentum Regnorum*.

Federicus P. Pater, & *Maximilianus* Imp. Romani. Ex oppoſito gentilitium ſtemma nobiliſſimæ, & Seren. Domus Auſtriacæ. Argent.

Idem

Idem cum Maximiliano Romano Imperatore. Ex oppoſito. Arg.

Leopoldus Auſtri. Imper. Cæſar 1660. Ex oppoſito aquila ſtemma ſuæ Familiæ imaginibus circundatum.

Quatuor capita; bina Imperatorum, alia bina Filiorum eorundem cum minutiſſimis characteribus.

33 *Sigiſmundus Auguſtus* D.G. Rex Poloniæ Anno 1561.

Ferdinandus Hungariæ, & Boemię Rex.

Ioannes Sigiſmundus D.G. Rex Hungarię.

Diuus Ludouicus Rex Galliæ. Ex alia parte ſedet mulier cum Concordia Auguſta galeam ad pedes habente, & ramum in læua, ad dexteram autem virgam cum lilio.

34 *Philippus II.* Hiſpan. Rex. Ex alia Sol ſupra currum à quatuor equis deductum cum *Iam luſtrabit omnia*.

Idem cum Atlante mundum ſuſtinente. *Atlas vt quieſcat.*

Philippus Hiſpaniarum, & noui Orbis occidui Rex, ex alia Templum Abundantiæ. *Pace Terra, Marique compoſita.* Argent.

Carolus, vulgo *Carlotto* Philippi Secundi Filius vnicus, qui iubente Patre damnatur morti.

35 *Carolus VIII.* Rex Francorum. Ex oppoſito Hercules leonem diſcerpens. *Prouinciarum pacator.*

Franciſcus I. Rex Franc. Dom. Heluetiorum cum Salamandra. *Nutrio, & extinguo* tres vncias diameter æquat.

Aliud eiuſdem Argent.

Aliud eiuſdem cum Henrico Franc. & Carolo Filijs.

Henricus II. Galliarum Rex inuictus. Ex alia. *Reſtituta Resbulica Senens. Libertatis obſidi. Mediol. Parma, Mirand. Sanda. & recepto Hedino orbis conſenſu* 1552.

Henricus IV. Francorum, & Nauar. Rex. Ex alia cum figura ſupra globum, temone, caduceo, & claua, in dextera lauream coronam geſtante, in læua palmam. *Regit virtutibus orbem.* *Ludo-*

Ludouicus XII. cum Vxore ex alia.

Aliud eiuſdem cum imagine Vxoris; ex alia parte.

36 *Ludouicus XIII.* Francorum Rex cum Iuſtitia ſedente. *Vt gentes tollatque prematque.*

Idem Iuuenili ætate cum ſemicirculo Iridem referente, & in medio ſedente muliere cum ſceptro, & volucri. *Dat pacatum omnibus æther.*

Idem cum Anna Auguſta Regina ex alia.

Idem cum Iuſtitia ſedente præ manibus vt gentes tollatque prematque.

Ludouicus XIV. D.G. Fran. & Nauar. Rex iuuenili ætate ex alia Anna D.G. Fran. & Nau. Reg.

37 *Guſtauus Adolphus* Rex Suetiæ. Ex alia parte miles armatus cum clypeo, & Cruce gladium manu vibrans ſupra cadauera cum literis.

Chriſtiernus Rex Daciæ, ac bellorum victor cum gentilitio ſtemmate.

38 *Matthias* Rex Hungariæ, Bohemiæ, Dalma. Ex alia columna figuram ſuſtinens inter Turcarum equitatum, & ipſius Matthię exercitum.

Oliuerius Cromuel cum gentilitio ſtemmate. Argent.

Oliuerius D.G. P. Angliæ, Scot. Hib. Prob. cum ſtemmate. *Rex quæritur bello.*

PRINCIPES, ET DVCES.

39 *Ludouicus Sfortia Viceco.* Mediol. Dux. Ex alia Galeaz. Maria Sfortia Viceco. Franci. Sfortiæ primogenitus.

Idem. Ex alia Imperator. & ipſe Dux in equis cum multis hominibus. *Optimo conſilio ſine armis reſtituta.* Argen.

Philippus Maria Viceco. Anglus. Dux Mediol. &c. Papiæ, Angleriæ Comes, ac Genuæ Dominus. Ex oppoſito duo homines armati in equis.

Fran-

Franciſcus Sfortia Vicecomes Dux Mediol. Ex alia Galeaz. Ma. Vicecomes Dux Mediol. Argen.

Galeaz Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediol. V. ex alia Bona Sabaud. Mater Io. Galeaz Mar. Du. Mediol. VI.

Galeaz. Ma. Sfortia Vicec. Dux Mediolani. Ex alia gentilitium ſtemma cum *Duca. Maieſt. auctor humani generis.* Arg.

Ludouicus Patruus gubernans ex oppoſito Ioannes Galeaz. Maria Sfortia Vicec. Dux Mediol. Argent.

40 *Ferdinandus I.* Magnus Hetruriæ Dux. Ex alia innumeræ apes medium crabronem obambientes cum *Maieſtate tantum*.

Idem Dux Hetrutiæ III.

Franciſcus Medic. Princeps Hetruriæ, ex alia, Hetruria. Aliud eiuſdem.

Coſimus Medices II. Reipub. Flor. Dux.

Coſimus II. Magnus Dux Hetruriæ IV.

Coſimus II. Magnus Dux Hetru.

Alexander Florentiæ Dux I. cum figura ſedente, ante quam militaria arma, & cornucopia in manibus. *Fundator quietis.* 1534.

Alexander Medices cum Lupa, & lactentibus pueris. *Perpetua ſoboles.*

D. Princeps Franciſcus Medices.

41 *Leonellus Eſtenſis* Marchio Ferrariæ. Ex alia puerulì caput quaternos oculos, & tres naſos habentis.

Idem D. Ferrariæ, Regij, Mutin. ex alia leo, & puerulus.

42 *Ferdinandus Carolus* Archidux Auſtrię. Ex alia duo brachia cū duobus enſibus in aere, & equo armato cum tribus . . . . & literis H. A. M.; cum ſole etiam, & duobus tormentis bellicis in ſuperiori parte.

Maximilianus F. R. Cæſar. Dux Auſtr. Burg. Ex alia Maria Caroli F. Dux Burg. Auſtriæ Brabant.

Ferdinandus Carolus D. G. Archidux Auſtriæ.

43 *Franciſcus Sfortia* Vicecomes Marchio, & Comes, ac Cremonæ D. ex alia equinum caput, & infra gladius cum duobus libellis.

Honoratus II. D. G. Princeps Monæci. Ex alia *Dux Valent. Par. Franciæ Comes Cam.* 1645.

44 *Diuus Bortius* Dux Mutinæ &c. Ex alia mulier cum arrepto enſe, lancibus, & aquila diſcerpente pullum gallinaceum, & accipitrem cum. *Hæc te &c.*

Alphonſus II. Dux Mutinæ, & Reg. cum Iuſtitia. *Prouidentia Optima.*

Hippolitus Eſtenſis cum orbe cruci ſubiecto, & quatuor ventorum imaginibus.

45 *Ludouicus Gonzaga* Capitaneus armigerorum Marchio Mantuæ &c. Ex alia idem in equo armatus.

Ioannes Franciſcus Gonzaga Capitaneus armorum maximus Primus Marchio Mantuæ. Ex alia idem in equo.

Carolus Dux Niuer. & Retelen. Par. Franciæ; ex alia Sol in Zodiaco. *Nec retrogradior, nec deuito.*

Federicus II. M. Mantuæ. Ex alia mons cum via ad Deſcenſum obliquata, & deſuper figura ſedente cum cornucopia, & gladio Ολυμπος.

46 *Alexander Farneſius* Par. & Plac. Dux Bel. Dumi Gubern. Ex alia figura nuda ſub conopæo Satyro occurrere parata, & remotæ vrbi. *Concipe certas ſpes.*

Ranutius Farneſius Plac. & Parmæ Dux IV. Idem in equo ex alia parte. *Plac. Ciu. Optimo Principi.*

Aloyſius Farneſius Parmæ, Placen. Dux. Ex alia cum monocerote cornu in fontem mergente cum alijs animalibus bibentibus. *In virtute tua ſeruati ſumus.*

Octauius I. Parmæ, & Placen. Dux II. Ex alia captiuus trunco alligatus cum Apolline, & Cythara. *Cum Dijs non*

contendendum.

Petrus Aloyſius Farneſius Parm. & Plac. Dux. Ex alia Ciuitas cum propugnaculis ad ciui. *Ditioniſque tuta munimen*.

47 *Ioannes Antonius* Dux, & Princeps Hechenberg. cum gentilitio ſtemmate; ex alia.

Paſchalis Ciconia Dux Venetiarum 1593. *Fori Iulij Italiæ, & Chriſ. Fidei propugnaculum* cum arce, & cruce. *In hoc ſigno tuta*.

Ioannes Fridericus Elector Dux Saxoniæ fieri fecit ętatis ſuæ 52. Ex alia gentilitium ſtemma. *Spes mea in Deo, & anno noſtri Saluatoris* 1535.

Carolus D.G. Dux Mantuæ, & Mont.

48 *Ioannes Auſtriacus* Caroli V. Filius ętasis ſuæ 23. Ex alia columna roſtrata, ſupra quam figura coronata cum claſſe maritima. *Claſſe Turcica ad Neupactum deleta*.

Ioannes Dux Brigantinus.

Magni Sultani F. Mehemet. Imperatoris. Ex alia tres coronæ.

Dux Saxoniæ ſine nomine, ſed ſolum cum gentilitio ſtemmate. *Verbum Domini manet in æternum A*. 1530.

Alexander Picus Princ. Mirandulæ Marchio Comes. Ex alia Templum cum turri. *Æternitati Templo D. Auguſt. Eccleſiæ D. dicato*.

49 *Emmanuel Philibertus* Dux Sabaudiæ.

Melchioris Princeps Vinc. Præpo. A. 1518. Ex alia fortitudo. *Animo forti vincitur Cupido*.

Erneſtus Bauariæ Dux cum orbe ſtellis circundato. Argent.

Tredecim numiſmata lignea Electorum Imperialium ab Alberto Dureno inſculpta; atque adeò pretioſiſſima.

Aliud numiſma *vnius Electoris Imperialis* cum literis

Germanicis. Ex alia Hippopotamus ore Imperiale ſtringente. *Cedunt arma togæ.*

REGINÆ.

50 *Catharina* D. G. Regina Poloniæ.

Bona Sfortia Regina Poloniæ melytiſſima cum ſtemmate Vicecomitum, & Mediol.

Aliud eiuſdem.

Maria Auſtriaca Regina Boem. Caroli V. Imperatoris Filia, cum figura mulieris ſtantis dextra manu ramum tenentis, ſiniſtra Imperatoriam coronam, infra pedes militaria arma.

Maria Luſitaniæ Regina P. & Prin.

Maria I. Regina Angliæ Fran. & Hiberniæ defenſatrix. Ex alia mulier ſedens cum ramo in dextera, & in ſiniſtra face, atque homines deijciens cum armis, & Templo, alijſque figuris. *Cæcis viſus, timidis quies.*

51 *Maria* Regina Franc. Florentina cum Deorum imaginibus. Ex aduerſo *Terra Deum parit.*

Catharina Regina Franc.

Anna D. G. Franc. & Nauar. Regina cum Ludouico Rege.

Chriſtina Suec. Regina. Ex alia brachium nudum, cuius manus ſuſtinet coronam. *Auitam, & auctam.* Aur.

Eleonora Regina Port.

52 *Maria Auguſta* Galliæ, & Nauar. Regina.

Anna Auguſta Gall. & Nauar. Regina. Ex alia Ludouic. XIII. Rex Gal.

DVCISSÆ, ET PRINCIPES FOEMINÆ.

53 *Ioanna Auſtriaca* Hetrur. Princ.

Margarita Auſtriaca, & P. Germa. Inferior. Ex alia, figura enſem impugnans, & palmam cum geminis ventis flantibus. *A Domino factum eſt iſtud*.

Maria Magdalena Archiduc. Auſtriæ Magn. Du. Hetruriæ.

Margarita de Auſtria D.P. & P. Germaniæ Inferioris Gub. cum muliere gladium altera manu, altera palmam tenente. *Fauente Deo*.

Iſabella Aragonia Du. Mediolani. Ex alia mulier ſemi nuda ſedens cum palma in dextera, & implicito angui ſceptro in ſiniſtra, ante illam palma cum dactylis.

54 *Margarita de Fois* cum Ludouico Marchione, & ſuo ſtemmate. *Si Deus pro nobis quis contra nos*.

Chriſtina Prin. Lot. Mag. Ducis Hetru.

Hippolita Gonzaga Ferdinandi filia cum curru ex alia à Pegaſo delato, & mulierem face armatam ſuſtinente.

55 *Maria Caroli Filia* Dux Burgundiæ Auſtriæ Brabant. cum Maximiliano Duce Auſtr.

Eleonora Florentiæ Duciſſa. Ex aduerſo pauus cum pauunculis, &. *Pudore læta Fœcunditas*.

Mariana D.G.V.BE.S.D.C. Ex alia gentilitium ſtemma.

56 *Ciotta Tol. Tabera* Vx. ſub Cance.

Iſotta Ariminenſ. Sigiſmundi Malateſtæ Vxor cum Elephanto ex alia.

Aliud ſimile cum diſſimili capitis ornatu.

Eliſabetha Gonzaga Fl. Feltr. Ducis. Vrbini. Ex alia ad terram ſtratus captiuo, & victo ſimilis. *Hoc fugienti Fortunæ dicatis*.

Margarita Auſtr. Caroli V. Fil. Duciſſa Mantuæ. Ex aduerſo mulier, quæ iunctis manibus Cœlum ſuſpicit. *Nil me mea cura fefellit*.

Margarita Duciſſa Mantuę.

Iſabella Ran. D. Eſt. 1554.

Lucretia Med. Eſten. Ferdinandi Princ.

57 *Diua Antonia Bautia* de Gonzaga Ma. Ex alia duo equi aligeri à Deo Cupidine ducti, & equum trahentes. *Supereſt ſpes.*

Cæcilia virgo Filia Ioannis Franciſci Marchionis Mãtuæ. Ex alia monoceros in ſinu virginis.

Iſabella Aragonia Dux Mediolani, cum ramo ex palma, & muliere ſedente, & angue implicito baculo, ac palma præ manibus. *Caſtitati Virtut. Inuicta.*

58 *Camilla Peretta* Sixti V. Soror cum facie Templi S. Luciæ à D. 1540.

Iſabella Scortiata.

Diua Iulia primùm felix. Ex alia multi pugnantes. *Dubia fortuna.*

Iſabella Capua D. Princip. Malfictæ Ferdinandi Gonzagæ Vxor.

Beatrix Lang. Sotar. Vetu. Æ.

Anna Maurella Iſea ætatis ſuę VIII.

Lucretia Borromea Vxor Federic. Hiero. Carol. M. Anton. Hipp. An. Victor. Filij ex Anna Sorore S. Caroli Nepotes 1612. Ex oppoſito gentilitium ſtemma.

59 *Calidonia Vicecomes* virago. Ex alia aquila ſolem reſpiciens. *Viſus, & animus idem.*

Matrona Germana: Et alię Duæ Matronæ ſine nomine.

Barbara Gonzaga Borromea Com. Noue. Ex alia duo montes, ſupra quos duo vaſa, & Pegaſus. *Nonnulli obnoxia.*

Matrona Gonzaga. Ex alia nauis cum muliere in puppe puerulum excipiente, qui ab alto delabitur.

F. G. E. M. O. Ex alia, mulier, quæ manibus iunctis ſolem ſuſpicit. *Hac duce Cœlum voluitur.*

60 *Iſabella Seſſa* Michael. Venet. Ex alia mulier cum crini-

bus

bus in ſincipite, infra pedes imagine mortis. ἐκπαλαιμοιμνηζομένη.

Iulia Columna. Ex alia Marius Columna.

Eleonora Van. Lambe.

Fauſtina Sanch. Pr. Me.

Hippolita Gonzaga Ferdinandi Filia A. XVII. *Cum. T. G. I.*

61 BΛANKA &c. Ex alia Deus Cupido velatis oculis ſupra ſcopulum in Mari procelloſo cum alijs cadentibus. *Nil ſine me.* Numiſma elegantiſſimum.

Blanca Panſana Carcan. Ex alia Inſula in Mari cum tumulo. *Sine non poſſum ad te.*

Imago vnius Matronæ ſine nomine. Ex alia tres faces. *Extinguit qui me alit.*

MAGNATES IN BELLO, ET PACE ILLVSTRES.

62 *Borbonius*. Ex alia mulier ſpinam ſibi euellens.

Andreas Doria P. P. cum Tridente. Leonis Aretini opus. Ex alia Leonis ipſius Aretini ſculptoris imago cum pedibus detenti.

Idem cum triremi ex alia.

Conſaluus III. Dictator Magni Ducis cognomento, & gloriæ. Ex alia Cannenſis Ciuitas obſeſſa Conſaluo obſeſſores ſternente. *Victis Gallis ad Cannas, & Lirim pacata Italia Ianum.*

Franciſcus Taberna Comes Landriani Magnus Cancellarius A. 70.

Ludouicus Riccaſenius Maior Commendator Caſtiliæ. Ex alia, armatum brachium enſem impugnans cum Cruce Sancti Iacobi ad capulum.

63 *Iacobus Triuultius*. Ex alia. *Expugnata Alexandria, de-*

leto exercitu Ludouic. Sfor. Mediolani Duc. expellit, reuerſum apud Nouariam ſternit, capit 1499.

Ioannes Iacobus Triuultius Magnus.

Sigiſmundus Pandulphus Malateſta. Ex alia Ariminenſis ara.

Idem cum Templo. *Præd. Arl. Mini. Templum An. Grati.*

Magnus Hieronymus Moronus Supremus Cãcellarius Mediolani cum naue. *Et merſit.*

64 *Baptiſta Spinola* de Serrauallis cum naue Hebraicis characteribus.

Thomas de Marinis Dux Terræ nouæ cum palma, & vite illi implicita.

Camillus Gonzaga Comes Nouel. Anno 33. Ex alia multiplex armaturæ genus. *Ad vtrumque paratus.*

Hieronymus Carrafa March. Princeps Mn. Ex alia *Phœnix Solem reſpiciens.*

Andreas Carrafa San. Seuerinæ Comes cum ſtemmate gentilitio. *Virtus conteret contraria.*

65 *Honoratus* II. D. G. Princ. Monaci. Ex alia gentilitium ſtemma cum notis. Dux Valent. Par. Fran. Com. Cam. 1645.

Nicolaus Vrſinus Armorum moderator idem in equo ex alia cum literis imperfectis.

Ioannes Bentiuolius Bononienſ. Ex alia. *Maximiliani Imperatoris nummiſ.* M.CCC.XLIV.

Ioannes Bentiuolius II. Honorib. filius Eques, ac Comes Patriæ Princeps, ac libertatis columen. Ex alia idem in equo cum alio homine.

66 *Coſimus Medices decreto Publico P.P.* Ex alia mulier ſedens cum pileo præ manibus. Ex alia ramum oleæ geſtat, *Pax Libertaſque Publica.* Inferiùs. *Florentia.*

Aliud eiuſdem.

Iulianus Medices cum Roma ſedente.

Idem cum *Luctus Publicus*. Ex alia Laurentius Medices cum *Salus publica*.

Laurentius Medices cum duplici pugione, & vno pileo VIII. Id. Ian.

Idem cum *Salus Publica*. Ex alia Iulianus Medices cum *Luctus publicus*.

67 *Marcellus de capo de ferro*. Ex alia Taurus cum *Mercurialium hoſpes virorum*.

Iulius Martirengus.

Ferdinandus Aſinarius Comes Camerani. Ex alia equus ferociter ſaliens.

Iacobus Antonius Pallauicinus cum Pegaſo hominem proterente cum ſphæra, & vaſis. *Virtus ſuperat omnia*.

68 *Braccius H. Picininus* cum griphe binis puellis vbera præbente cum voce *Peruſia* collo inſcripta.

Caput Laureati Senis. Ex alia Eques cataphractus cum facie, & Cruce equitum Hieroſolymitanorum.

Franc. Taberna Com. Land. Magni Cancella. Status Mediol. cum cane arietem in aere ſuſpiciente. *Inconſtantia E. Fide Felicit.*

Aliud eiuſdem.

Io. Fran. Triuult. March. Vigeu. Comes Marochij, ac Val. Dan. & So. D. Ex alia Fortuna in medio Mari à ventis agitato. *Fui, ſum, & ero*.

69 *Ioannes Franciſcus Gonzaga*. Ex alia tres figuræ, nempe mulier haſtam altera manu, alia vas tenens, & mulier globum pedibus premens; atque homo nudus cum Imperatoria corona præ manibus. *Fortun. victrici*. Infra pedes *Anti*.

Alphonſus Aualos Marchio Guaſ. Generalis Ductor Exerc. Ex alia, palma cum fructibus, & homine Africano, alioque in terra iacente cogitabando ſimili. *Africa capta*.

Aliud

Aliud eiuſdem. Ex alia eadem ratione inſcriptum.

Marius Columna. Ex alia *Iulia Columna*.

Ezelinus III. de Romano.

D. Ioa. A Figueroa Ord. Sanct. Iac. Arci militiæ præf. Duc. Mil. Guber.

70 *Ferdinandus Gonzaga* Præf. Galliæ Ciſalp. Tib. Maximus Legat. Caroli V. Cæſaris Auguſti.

Ioannes Picus Mirandu. Philoſoph. Acutiſſim.

Ioannes Frater de Valet Mag. Hoſp. Hieroſol. Ex alia elephas turrim deferens cum hominibus, in Mare ingrediens per triremem cum milite eius proboſcidem arripiente, & Melitenſi Vrbe. *Habeo te*.

71 *Carolus Aragonia* Dux Terræ nouæ. Ex alia palma cum pondere penſili. *De mag. Erigor*.

Conſaluus Corduba II. Ex alia Ferdinand. Fran. Dauualos de Aquin March.

Ferdinandus Fran. Daualos de Aquino. March. cum Conſaluo Corduba ex alia.

Mercurius de Gattinaria Ex. Cancell. Ex alia Phænix ex ardeſcens. *Suſtulit iſtam ſolam fides terris, ſola fides coniunxit ſub pennis*. Inferiùs. *Fide*.

72 *Ludouicus Marchio, & Margarita de Fois* cum gentilitio ſtemmate. *Si Deus pro nobis quis contra nos*.

Gaſpar Septala ętat. XXVI. Ex alia. *Salix* cum eiuſdem plantæ imagine.

Hieronymus Figinus.

Hippolytus Quintius.

Albertus Litta 1565.

Cap. Petri Plantanidæ cum fœmina ſtante, calicem in manu habente, & dexteram eleuatam. *Dum ſpiritus hos regit artus*.

Aliud ęiuſdem.

Andreas

Andreas Barbata Meſſanus Eques Aragon. Regis Conſil. cum alata fama geminos libros manu tenente. *Fama ſuper Æthera notus.*

73 *Auguſtus Landus* Comes Compl. Ex alia mons in medio Mari cum *Immota vt ſcopulus ſtat mea ſola fides.*

Ioannes Baptiſta Fran. Filius Marinus. Ex alia figura in leone ſedens cum lancibus. *Cognoſce, dilige, matura.* Arg.

Claudius Comes de Colalto, & Sancto Saluatore cum gentilitio ſtemmate. Argen.

Ioannes Baptiſta de Colalto cum gentilitio ſtemmate. *Poſt tenebras ſpero lucem.* 1560. Argen.

74 *Franc. Mareſcalcus Io: Triuultius Marchio Vigleua.* Ex alia mulier altera manu palmam, altera accipitrem geſtans. *Me duce tutus adibis aſtra.*

Don. Rul. Lopez. Daualos. Ex alia mulier incedens cum calice præ manibus. *Dum ſpiritus hos regit artus.*

75 *Ioannes Picus Mirandulanus* Philoſophus acutiſſimus.

Achius Sincerus. Ex alia Beata Virgo, D. Ioſeph. & Ieſus puerulus.

Frater Hieronymus Floratus Ferrat. ex Religione Minorum. Ex alia mulier cum vaſe inter manus fumũ emittente. *Omne vanum.*

F. V. Iuſtinianus G. M. Ordinis Prædic. Ex alia binæ mulieres ſe ſe complectentes. *Virtus, & pietas complexa ſunt.*

Franciſcus Bonatus Mant. I. C. Eq ac Ma. Aud. cum fœmina nuda in aere circinum, & libellum geſtante, & cum candelabro, ac lucerna. *Veritatis interpres.*

76 *Federicus Carolus* Philoſophus.

Ferdinandus Carolus Philoſophus Parmenſis.

Tiberius Decianus I.C. ex alia ipſe Doctor in genibus libellum porrigens virtuti coronatę à Mercurio, cum alia item figura, & infra. *Iuris prudentia.*

Ange-

Angelus Politianus. Ex alia mulier ſedens prope arborem, & Angelus eius manum tangens.

Bernardus Spina Calaber cum equite, qui lancea alterum occidit. Ex alia: *Superat omnia virtus*.

Octau. Veſtrius I.C. Imolen. ætatis ſuę 38. Ex alia vas ingens cum duobus manubrijs. *Lutum niſi tundatur non fit vrceus*.

Aliud eiuſdem.

77 *Andreas Alciatus* I.C. Ex alia geminę cornucopiæ, & caduceus in medio cum Græcis literis.

M. Mant. Bonauit. Patauinus I.C. Ex alia Io. Petr. Bonauit. Medicus Patauinus.

Aliud eiuſdem cum Templo, & ſtatua in medio. *Æternitas Mant.*

Tiberius Decianus I.C. Vtinen. Ex alia Doctoralis Laureæ collatio. *Honeſtè viuas alter cuique ſuum tribuas*.

Ioannes Aloyſius Tuſcanus Auditor. Idem Aduocat us. *Incertum Iuris Conſultus, Orator, an Poeta Præſtantior*.

78 *Ludouicus Septalius* Regius Archiater. Stat. Mediol. Ex alia Sol, Lunæ Imminens, quorum radij in vas plenum aqua incidunt. *Ante oculos, interque manus*.

Ioannes Franciſcus Martinionus Mediol. Medicus. Ex alia Philoſophus cum corona Græcis literis inſculpta.

ΦΙΛΕΛΛΗΝ ΕΛΛΑΔΟΣ ΣΩΘΕΙΣΗΣ ΔΩΡΟΝ.

Alexander Caimus P. Pauli F. Mediol. & Bon. art. amator. Ex alia nauis, cuius vela Fortuna regit, pro nauta militem habens armatum. *Optanda nauigatio*.

Hieronymus Cardanus Mediol. ętat. 43. Ex alia octo mulieres arborem verſus currentes. Ονειρον.

Ioannes Petrus Bonauita Medicus Patauinus. Ex alia Marcus Mant. Patauinus I.C.

Petrus Manna Medicus Cremonenſis. Ex alia duo Philoſophi ſedentes.

79 *Dan-*

79 *Dantes Florentinus*. Ex alia Centaurus in Labyrinthi centrum eiaculaturus telum. *In ſilentio, & ſpe.*

Hieronymus Vida. Ex alia Pegaſus. *Quos amarunt Dij.*

Ioannes Iouinianus Pontanus. Ex alia mulier pilam manu geſtans, & cytharam.

Thomas Philologus Rauennas cum puerulo nudæ mulieris vbera ſugente, quem aquila abripit. *Ioue, & Sorore Ge.*

80 *M. Ant. Paſſerus* Patauinus. Ex alia gemini homines inuicem complexi, vnoque brachio haſta armato. *Regrediamur Philoſophia Comite.*

Antonius Calmona Philip. Hiſpaniar. Regis à ſecretis Id. LXX. Ex alia arbor ſuccisa, quę iam pullulauit. *Difficilitas initij ferenda.*

Raymundus kugcher Auguſt. Vindelicorum æta. 31. Ex alia homo vas manu geſtans cum auibus circunuolantibus. *Pudeat amici diem perdidiſſe.*

81 *Petrus Aretinus* Flagellum Principum. Ex alia. *Veritas odium parit.*

Idem cum muliere nuda dæmonem proterente; & digito in Cœlum intento. Retro alia figura coronam manu geſtans. *Veritas odium parit.*

Idem Flagellum Principum cum eadem inſcriptione.

82 *Thadæus Vgoletus*. Ex alia puerulus Cytharam pulſans. *Muſarum cultor.*

Ioannes Angelus Annonius Mediolan. ętatis ſuæ LX.

Daniel de Anna cum muliere fumans vas manu præferente. *Omne vanum.*

83 *Raphael Maffeus Volaterranus* Scrip. Apoſtolicus. Ex alia geminę figuræ ſtantes. Alia ſcilicet ipſius Raphaelis, alia mulieris obloquentis. *Sic itur ad aſtra.*

Bartholomæus Pendalia inſigne liberalitatis, & munificentiæ exemp. Ex alia homo ægidi inſidens pilam vna manu

geſtans

geſtans, alia haſtam. *Cæſariana Liberalitas.*

Carolus Vicecomes. Ex alia arbor Corali infra. *Coralit.*

84 *Petrus Candidus* Mediol. Studiorum Hum. Decus. Ex alia libellus apertus opus Piſani Pictoris.

Hieronymus Cornelius. Ex alia ipſemet throno Sublimi inſidens. *Paupertatis Patauinæ Tutor.*

85 *Ioannes Paulus Zupponus* Patauinus. Ex alia aquila calcans vas proiectum cum floribus.

Caput vnius Religioſi cum literis. *De fructu operum tuorum ſatiabitur terra.* Ex alia Vrbs Neapolis. *Rigans montes de ſuperioribus ſuis.*

Pater Gabriel Flamma Concionator egregius cum emortuali capite præ manibus. *Meminiſſe iuuabit.* Ex alia prolixum Elogium.

Antonius Gurea *Proſper Vicecomes Ioa. Gaſpar. F.* Ex alia aquila Solem intuens cum epigraphe.

Iacobus Corrigia formæ, ac morum Domin.

86 *Ludouicus Arioſtus.*

Hieronymus Boſſius Ticinen. Regius Eloq. Interpres. Ætatis XXXIII.

Hieronymus Scotus Placentinus celeberrimus Magicorum prodigiorum editor cum anguium inuolucro. *Vt cunque.*

Hieronymus Gualdus Prothonotarius. Ex alia Delphin cum teſtudine in Mari. *Inter vtrumque.*

Hieronymus Fracſtorius.

Iouinianus Pontanus Poeta. Ex alia Vrania.

87 *Octauianus Ferrarius* Hieronymi Fil. Mediol. Ex alia Ariſtoteles. *Virtutes eius amans.*

Philippus Melanton damnati nominis. Ex alia Pſal. 36. *Subditus eſto Deo, & ora eum. An. M.D.XXXX.*

IN LITE-

88 *Ianellus Turrianus* Cremonenſis Horologiorum Architect. Ex alia fons, quem ſuſtinet mulier excipientibus Mauris aquas in vaſis. *Numquam deficit*. Anibalis Fontanę opus egregium.

Dominicus Fontana Obeliſcorum erector. Ex alia quatuor obeliſci. *Iuſſu Sixti Pont. Opt. Max.*

Idem cũ vno obeliſco. *Ex Nero. Circul. tranſtulit, & erexit.*

Idem cum obeliſco ad D. Petr. Ex alia. *Cæſaris Obeliſcum miræ magnitudinis aſportauit, qui in Foro D. Petri feliciter erexit Anno D. 1556.*

Ioannes Paulus Lomatius Pic. Ex alia Fortuna, Mercurius, & idem Lomatius. *Vtriuſque.*

Aliud eiuſdem.

Leo Aretinus Sculptor Cęſa.

89 *Michael Angelus Bonarotus* An. 88. Ex alia canis cæcum ducens. *Docebo iniquos, vt & impij ad te conuertantur.*

Albertus Durenus ætatis ſuę LVI. Ex alia. *Obdormiuit in Chriſto* VI. *Id. April. M.D.XXVIII.VI.C.VI.*

Cornelius. Ex alia ſacrificium. Opus ipſius Cornelij.

90 *Bramantes* cum architectura ſedente. Ex alia cum circino, & regula præmanibus. *Fidelitas. Labor.*

Ioannes Herrera Philippi II. Regis Hiſpan. Architectus. Ex alia mulier ſedens cum ſceptro præ manibus, multis periſtylijs, & ędificijs. *Deo, & Opt. Principi.*

Iulius Campus Cremon. Pictor. Ex alia vas ingens cum epigraphe.

Vincentius Nicolaus. Ex alia muſicum organum. *Perfectus muſicus diuuſque inuentor.*

Nota quòd à numero 75. huius vltimi capitis hucuſq; deſcripta Numiſmata virorum ſunt in litteris alijſque artibus illuſtrium.



LOGOCENTRONES
SIVE
CENTONES PHILOSOPHICI
EXAMINANTES

Ortum, Materiam, Vires naturales Cryſtalli, Coralij, Teſtaceorum montanorum, & Lapidificatorum, Achatis, Succini, Ambari, & Magnetis.

Laus magna eſt tacitas naturæ inquirere vires
Maior in hoc ipſum munere noſſe Deum.

Georg. Fab.

DE ORTV, ET MATERIA Cryſtalli.

Cento Primus Philoſophicus.

1 DVAS Olim philoſophantium ſectas admirabilis Cryſtallorum ortus produxit, quarum prior aſſerit gelatis niuibus Cryſtallum ſua debere natalia. Non defuere grauiſſima capita, qui pugnauere pro hac, quos inter primus emicat Philoſophus *Seneca* qui 3. *Natur. quæſt. cap.* 15. ſenſus hoſce poſteritati reliquit. Quis, inquit, non grauiſſimas eſſe aquas credat, quæ in Cryſtallum coeunt? Contra autem eſt: tenuiſſimis enim hoc euenit, quas frigus ab ipſa tenuitate facillime gelat. Græca Cryſtalli vox ſententiam hanc magis magiſque corroborat, Κρυσαλλος enim ſignificat glaciem. Verùm penitiora ſubeuntes

euntes nominalia otioſioribus remittamus. Aqua enim cœleſtis minimùm in ſe terreni habens, cum induruit, longioris frigoris pertinacia ſpiſſatur magis, donec omni aere excluſo in ſe tota compreſſa eſt, & humor qui fuerat, lapis effectus eſt.

2 *Plinius* curioſiſſimus naturæ lynx eiuſdem ſententiæ aſſecla eſt inquiens, non alibi certè reperitur quàm vbi maximè hybernę niues rigent, glaciemque eſſe certum eſt, vnde, & nomen Græci dedere.

3 Tuetur profanos Philoſophos ſuo aſſenſu *S. Baſilius Magnus hom. 3. hexaemer.* referens vulgatam eſſe acceptionem Cryſtallum ob exuberantem aquæ congelationem in eam eſſentiam; quam obtinet, compactam fuiſſe. Sequitur hunc *Diuus Auguſtinus in Pſal.* 147. ad illa verba, *mittit Cryſtallum ſuam ſicut buccellas*. Eſt, inquit Cryſtallus ſpecies quędam in modum vitri, ſed candida eſt &c. Traditur enim Cryſtallus durata per multos annos, & non reſoluta niue ita congelaſcere, vt reſolutio non facilis ſit. Vbi niues multæ per annos multos ſuperinuicem miſſæ fuerint, & copia ſua violentiam ęſtatis euicerint, non æſtatis vnius ſed multarum, pręſertim in his terrę partibus, ideſt in aquilonia plaga, vbi nec ęſtate Sol feruentiſſimus inuenitur; ipſa diuturna; & annoſa duritia reddit hanc ſpeciem quæ Cryſtallus dicitur. Quid eſt ergo Cryſtallus? nix eſt glacie durata per multos annos, ita vt à Sole, vel igne facillimè diſſolui non poſſit. Hęc Diuus Auguſtinus quæ *lib. p. de mirabil. Sacræ Script. cap.* 24. confirmat.

4 Idem ſentit *Gregorius Magnus Hom. 7. in Ezech.* ad illa verba, *Aſpectus Cryſtalli horribilis*, Cryſtallum, inquit, ex aqua congelaſcit, & robuſtum fit. Idem *S. Hieronymus in cap. 1. Ezech.* idem *S. Iſidorus lib. 16. originum cap.* 13. his ſuccenturiat *Scaliger exercit.* 119. *Braſauolus in examine lapidum*, *Vincentius Belluacenſis lib. 17. ſpeculi Doctrinalis cap. 36. Albertus Magnus lib. 2. Mineralium tract. 2. cap. 3. de Cryſtalli*

ortu,

ortu, quamquam ipſe concedat, & in terræ viſceribus gigni. Suauiori ſtylo exarata ſi quis hæc cupit, adeat, *Claudianum* in epigrammatibus canentem.

Poſſedit glacies naturæ ſigna prioris,
Quæ ſit parte lapis, frigora parte negat
Solers luſit hyems imperfectoque rigore
Nobilior, mitis gemma tumeſcit aquis.

5 Poſterior ſententia non leuioribus fulcita rationum momentis è diametro priori oppoſita ſuſtinet Cryſtallum, nec glacie fieri nec niue, ſed puriore alio, & nobiliore humore conſtare.

Alabanda, Aſię, Cypruſque feruentiſſimis decoctæ caloribus pulcherrimam Cryſtallum enituntur. Inſpiſſanti potiùs calori quam congelanti frigori ſua incunabula debentem. *Sic Solinus cap.24. Polyhyſt.*

6 *Agricola lib.4. de ortu, & cauſis ſubterraneorum pag.56.* Cryſtallus, inquit, ex ſucco puriſſimo conſtat, qua de re, maximè clara, & perſpicua eſt. Idem *lib.6. de nat. foſſilium pag.* 277. *&* 278., nec tamen Cryſtallus, vt quidam voluerunt, eſt glacies, ideſt aqua cœleſtis gelu vehementiore concreta, ſed magis ſuccus frigore denſatus; etenim ſi eſſet aqua gelu concreta, in frigidiſſimis quibuſcũque regionibus, in quibus non riui modo, ſed etiam maximi amnes vſq; ad vada glaciantur, plurima fieret, ac Solis calore liqueſceret rurſus, quorum neutrum fieri videmus, nec glacies, quæ multis annis immò ſæculis, perpetuo frigore induruit in altiſſimis alpibus, mutatur in Cryſtallum, nam vt lapidis modo dura fiet vbi deciderit etiam ipſa Solis liqueſcit calore. Cryſtallus igitur eſt ſuccus, quem frigus intra terram conglutinauit.

Eiuſdem ſententiæ *Matthiolus* eſt, verùm admonendus Cryſtallum fuſionem ab igne pati poſſe, poſſemuſque dicere lacrymari, dum ignis tortura, torquetur eius innocens puritas.

Fluctuat in aquis glacies, petit Cryſtallus fundum ergo diſpar natura.

7 *Cardanus lib.7.de ſubtil.pag.*210. dicendum, inquit, eſt Cryſtallum non fieri ex glacie, quamuis inter niues ſoleat inueniri, ſed humore ſui generis. Nam glacies, quę è montibus pendet, cum deciderit igne calefacta liqueſcit; non ſic Cryſtallus, niſi ignibus circundetur aſſiduèque vento, & flamma vrgeatur. Quod promineat è ſummis montium cacuminibus non ob id contingit, quòd ita genita ſit, aut quòd glacies vnquam fuerit; ſed quoniam terra, & lapides molliores imbribus vẽtis, & niue liquefacta defluunt, & ſaxum nudatur; quam obrem Cryſtallus quæ inter lapides, ac ſub terra genita eſt, quomodocumque hæreat, pendere videtur.

8 Fauet ſententiæ huic *Vanucius Beringucius Senenſis lib. 2. del Criſtallo cap.*13. *nella forma che ſiegue. Criſtallo vi dico, che è vna pietra traſparente lucida, & chiara compoſta dalla natura, cõ predominio aqueo. Tal che da molti contra l'ordine delle coſe naturali è ſtato creduto che la natura l'habbi generato di pura acqua per forza di vna potente, & perpetua frigidità, che è continuamente in que' monti, & luoghi, doue ſi troua.* Addit paulò infra propriam dein Cryſtalli petrificationem hiſce verbis. *Dirò il Criſtallo eſſer di ſoſtanza aquea con terreſtreità ſottile con molto aere, & poco fuoco.* Ariſtotelicis innitendo principijs loquitur optimè Senenſis.

9 His ſic poſitis *Bernardinus Cæſius* accuratiſſimus Minerologus, ferens de vtraque iudicium, ſecundam hęreſim vt vero proximiorem tuetur cui vel ego adhærerem ni à recẽtioribus curioſitatibus, vel vltrò inclinans retraherer.

*Petrus Faber Panchym. lib.6.cap.*14. tenet Cryſtallum fieri ex eadem materia, ex qua adamantes, ex humido ſcilicet viſcoſo aquę; humidum enim illud in concauis terræ antris lapideis, non lutoſis includitur, ibique firmiſſimè recluſum

calore

calore ſui ipſius, & centrali ipſius terræ ſublimatur multoties, & ſublimando depuratur, & interim coquitur, & tandem fixatur in Cryſtallum. Sententia hæc ex anaxagoreis de viſcido elemẽtorum petita principijs ſuam laudem promeretur; ſed & ipſa ingentes patitur difficultates.

10 Transeamus ad *Paracelſum*, qui auos primò docuit omnia Mineralia ex aqua potiſſimùm; adeoque eſſe fructus elementi aquæ, non ſecus atque vegetabilia eſſe fructus terræ.

Cuncta igitur corpora Mineralia, quæ mixta creduntur, materialiter dumtaxat, ex ſola aqua ſunt, nullo excepto. Corpus autem illorum cogitur cuiuſdam proprij atque ſpecifici ſeminis neceſſitate, ad fines ſoli primæ naturæ operanti cognitos à priore. Etenim ſi non petra fit petra, neceſſe eſt petrificationem, entis alicuius noui generationem includere: omnis autem generatio præſupponit aliquale ſemen quod materiam ad ens inpotentia diſponat.

Saxorum autem, & Mineralium ſemen opulentum, aquæ eſt à prima natura operante implantatum, vt determinationem ſuam, atque fermentum in terræ matrice ſuſcipiat, vnde aqua purè pellucida habens in ſe ſemen atque fermentum lapidis Cryſtallus euadit, ſi verò purus cuiuſdam metalli vel pyritidis color concurrerit, gemma fit duritiem, & proprietates ſui coaguli ſequens.

Sin autem non purè diaphana ſe incorporat colori metallico fit lapis opacus Iaſpis, Achates, ſilex, Porphyrites, Marmor, & iuxta mixti ſeminis exigentiam.

11 Poſtera ſententia hęc quàm *Vuanhelmontius* acutiſſimus *de Lithiaſi* defendit, cui ego ſubſcribo, *Diodoro*, *ex Salmuth in Pancirolum part. 2. variarum lectionum tit. 7.* de ſpecularibus acceptam referri aſſerenti Cryſtallum eſſe lapidem ex aqua concretum pura, ſed diuini caloris vi. Calor enim ille diuinus nil aliud eſt quàm ſemẽ operans, ſemina .n. analo-

gico quodam ad ſydera calore dotata ſunt, qui diuini, ſiue cę- leſtis nomen ſortitur comprobante hoc *ſtagirita lib. 2. de generatione animalium cap. 3.* ineſt, inquit, ſeminibus facultas quędam fœcundatiua ſeminis, eſtque calor, non ignis, nec talis aliqua facultas, ſed ſpiritus in ſemine ſpumoſoque corporeo continetur, & natura, quæ in eo ſpiritu eſt proportione reſpondet elemento ſtellarum.

12 Dum hiſce curioſitatibus philoſophicis rubiginatum animum expolirem, contigit ſcholia quædam legere, in quibus per duos primæ eruditionis viros de Cryſtallorũ generatione diſſerebatur, aſſerente vno, ex concreturo ſucco fieri, ex lapidibus tranſſudante; altero verò ex aqua, cui materia Cryſtallina adueniret. Secundus coarguebat primum in illa concretione ſucci, ſed immeritò, cum *Agricolæ* doctiſſimi Philoſophi, & verbis, & ſenſibus primus inniteretur, ſed vt clariùs innoteſcat altiùs rem repetamus. Χυλὸς Græcè ſignificat humorem ſeu ſuccum ergo ſuccus, & humor idem planè ſunt, nec dum quis, apertè pallium non induit philoſophicum, verba in omnimoda ſtrictione accipienda ſunt: vnde ſiue dicamus concretum ſuccum, ſiue humorem, hoc inconcuſſis manet ſtabilitum fundamentis, ſententiam non eſſe reprobandam ni falſæ philoſophicè baſi innitatur, quod eſt oſtendendum. Verùm dum ſocium amicè carpere vult neſcius, quòd *carere omni vitio debet, qui in alterum paratus eſt dicere*, & ex Diuo Hieronymo aſſerente, qui ſcribit multos ſumere iudices, teſtante Platone nullã adeo accuratam poſſe dari ſcripturam, quæ criticorum iudicium poſſit effugere, ridendam ipſe omni ex parte ſententiam proponit, quę in Theſim ſic poteſt reuocari Cryſtallus conſtat ex aqua, materia Cryſtallina aquæ adueniente. Vah quale in philoſophia ſolæciſmi genus. Materia Cryſtallina per te aquę aduenit, ergo ex tuis verbis aqua non eſt materia Cryſtallorum, cum ei

materia

materia Cryſtallina aliunde adueniat. Quàm turbidè Doctor mi potas pellucida in Cryſtallo. Ecquid eſt iſta materia, illa ne prima Ariſtotelica, quæ adhuc imperceptibilis eſt? an aliqua alia pura potentia inintelligibilis? quò te vertas neſcio, ſcire enim ego vellem, cum aqua materia, & ſubiectum Cryſtallificæ formæ non ſit, an ſit cauſa Cryſtallorum efficiens? ſed quorſum vado? cum aquæ materia adueniat, ex qua generetur Cryſtallus, ſequitur aquam eſſe formam ſubſtantificam per te Cryſtalli, ni forſan duo ſubiecta velles admittere in cōpoſito. Pace ipſius dixerim, meliora ſequatur, ne ſolidas inter Cryſtallos, famæ philoſophicæ compenſationem patiatur.

13 Ducta dein ſimilitudine amicus alter, ex arboribus gummi ſudantibus Cryſtalli tranſudationem ex lapidibus explicare conatur, quam ipſe quaſi irrides. Heus bone vir neſcis ne quòd paritas Pedibus omnibus currere non debet. Dein tantine intereſt plantarum inter collacrymationem, & lapidum exudationem? fiunt omnia per poros, quæ craſſo homini, cum exiles ſint, vereor ne innoteſcant. Vidiſti ne vnquam inſtrumenta lapidea affabrè facta, per quæ aqua, vt potui tenuior inſeruiat; tranſcolatur? ceſſabit vtique admiratio ſi iſta videris, quæ ſi nota tibi non ſunt, dum curioſorum academiam philoſophantium calcas, quære attentiùs, & inuenies, tibique arduum ampliùs non erit concipere humorem è lapidibus tranſudare, gummi adinſtar ex plantis, quod ſtagirita admiſit, quem optimorum philoſophorum non pauci ſunt ſequuti. Nouit natura vias non excogitatione effatur *Hippocrates*, ferreaq; acus ingurgitata per os veſicā petit via adhuc dubia, plurimaq; dantur; quorum primæ, & indubitatæ originis cognitionem rerum omnium natura productrix ſibi voluit reſeruatam.

14 Verùm his miſſis particulariora in Cryſtallo examinemus. Hexagona illa figura Cryſtalli in acutum deſinens

philoſophantium ſtimulat animos vt politiſſima formatrix adinueniatur. Inſitum illud à natura mortalibus ſciendi deſiderium quod *ſecundo de anima ſtagirita* optimè nouit ſuam torquet ſedem cupiendo negata.

Suſcepit *Cardanus* prouinciam hanc, quam *Plinius lib.* 37. *cap.* 2. non infauſtè fuerat adminiſtratus. *Lib. ergo ſeptimo de ſubtilitate pag.* 209. ait cur Cryſtallus habeat ſex ſuperficies, cauſa eſt quòd velut, & apum capſulæ ab alijs circundantur, atque ideo & ipſæ hexagonæ ſunt, ſic Cryſtalli fruſta ab alijs fruſtis; ſed cur quæ ab alijs circundantur ſunt hexagona forma, cum ſphæra à quatuordecim ſimilibus ſphæris, non autem ſenis circumābiatur? meliùs igitur erit vim hanc in naturam corporis referre, nā corpus omne quod ſuperficiebus rectilineis circumambitur, longitudine, latitudine, & altitudine diſtinguitur; at hæc conſtāt ſenis oppoſitis ſuperficiebus quamobrē ſenas habeat ſuperficies Cryſtallus, & reliquæ huius generis gemmę vt berylli. Hæc *Cardanus*, qui capſulas ex apibus; *Scaliger* verò aculeos quibus peteret Cardanum ſelegit, *exercit.* 118. in hunc modum.

15 Quare Cryſtalli ſuperficies ſex ſint; cauſa, inquis, Cardane eſt, quod velut & apum capſulæ, ab alijs circundantur; atque adeo & ipſę hexagonæ ſunt, ſic Cryſtalli fruſta ab alijs fruſtis.

Si tibi Ariſtotelicæ ſententiæ in mentem veniſſet alia ratione fultus loquerere. Ait ille in 3. *phyſ.* omne tangens finitum eſt, non autem omne finitum tangens. Sic non omnis Cryſtallus ſex finita ſuperficiebus ab alia tangitur: non enim ire licet in infinitum. Non igitur vltimi fruſti, vltima ſuperficies à tangente fit ſuperficie. Præterea non eſt ratio, quare ſic finiatur altera, ab altera potiùs quam obliquè, aut difformibus corporibus; ſicut eſt in clauis, & pixidibus oſſium, & ſanè triangula, & quadrata, & alia mutuo cohærentia affinia eſſe poſſunt.

poſſunt. Ad hæc ſupereſt quæſtio, nam præter illa ſena latera habet item capita cryſtallus, quæ ſuperficiebus faſtigiantur, quonam igitur modo mucrones illi coniungentur, quod verò affers exemplum id verò nullum eſt. Quandoquidem fauorum cellę à quodam numero, quot illæ fundatæ primùm, deinde etiam ſunt extructæ, parietum totidem conſtant angulis: altera quoque ratio peſſima, ſed hęc videantur apud *Scaligerum* ſatyricè arguentem in longum, enim nimis ſermo protrahitur. *Cæſius* cum *Plinio* loco ſuperiùs citato concordat. Quare, inquit, Criſtallus ſexangulis naſcatur lateribus non facilè ratio inueniri poteſt, eò magis quod neque mucronibus eadem ſpecies eſt, & ita eſt abſolutus laterum læuor vt nulla id arte poſſit æquari. Hęc Plinius.

16 Subdo, & ego meos ſenſus Liuianis vtens verbis, etſi in tanta ſcriptorum turba meum nomen in obſcuro eſt, magnitudini, & famæ eorum, qui nomini officient meo me conſoler. Supponendum ergo eſt omnes figuras foſſilium concreſcentium oriri à ſale, qui varius in terra reperitur, aut etiam è ſaxis exſudat dum adhuc latent, non enim omnia ſalium genera hexagonæ ſunt figuræ. Sumantur enim v. g. vnciæ ſex ſalis communis, affundaturque aquæ putealis tantumdem, ebulliatq; quoad ſal ſolutus fuerit, infundaturq; dein vaſi nitido terræ, & immobile vas exſiccari permittatur, euaneſcet tota aqua, & ſal remanebit teſſerarum figura, ſiue cuborum: Deinde non omnis Cryſtallus naſcitur Hexagona, ſed dantur ſphæroides, & omnigenæ figurę, quæ autem naſcuntur hexagonæ, facienda eſt hypoteſis puriſſimam Cryſtalli materiam antequam perfectè concreſcat collectam eſſe figura, quæ aliquid immò multùm habet de ſphęrica: ratio eſt quia materia illa difficilè ſuis terminis continetur, quæ autem ſic ſunt comparata breuiſſimis terminis ſe inuoluunt nempe ſphęricis: ſphæra enim & circulares figuræ iſoperimetris ſibi figuris capaciores.

paciores ſunt. Quo poſito materia illa ſale ſibi proprio coagulatur, & cum vnaquæq; pars adhærere toti tentat, quaſi ſi ſemidiametro pugnaret, tota maſſa in hexagonam figuram concreſcit, & ſicciſſima firmitate, hexagona figura terminatur, quæ aliquando perfecta eſt, aliquando imperfecta. Numquam autem perfectæ ſunt figuræ Cryſtalli, aut rarò eam fortunam habent, quia fortuitò inter alia corpora dura concreſcunt, & impeditur ſæpiſſimè figura, cuius tamen veſtigia quędam obſcura manent in ea parte, quæ libera à rupium contactu fuit. Lectorem verò non lateat philoſophiæ particulari magnas ineſſe difficultates, oportereq; ſæpiſſimè admittere, & probare paruas ſatisfactiones in ijs rebus de quibus magnæ habentur dubitationes. *Vide Aldrouand. muſ. metal. lib. p. tit. de Cryſt.*

DE CORALLIIS.

Cento Secundus Philoſophicus.

1 ERuamus, vel ex intimis oceani penetralibus recondita naturę miracula, peruias adeamus tritonibus valles, vt quidquid vagi inibi Neptunus collegerit perſcrutemur. Latet vndique eadem natura formatrix, quęq; ſaxeis in montium viſceribus cryſtallos efformat, liquidis in Amphitrites vndis Corallia duritiei Cryſtalinæ æmula producit, aquas è litho generat, procreat lithon ex idro, vt vel in ſaxis philoſophi naufragent, vel in aquis lapidibus collidantur. Mittamus monſtra horrenda informia, ingentia, chimęras planè humanum vorãtes intellectũ Nereidum expiſcemur delitias impolitamq; papyrum elegans adornet corallium. Fruticat Corallium in mari prout ſuos in terris ramulos herba diffundit, quin immò cordatorum virorum coniectura non improbabilis fuit,

herbam

herbam in maris fundo enaſci, quæ lapideſcente icta ſucco in corallium tranſmutaretur, experientia, magiſtra rerum hoc comprobant vnà cum *Anſelmi Boetij* authoritate referentis, apud antiquariũ Imperatorum conſeruari corallia, quorum ſurculi lignei adhuc erant. Arbuſcularum ſimilium partim lignearum, partimq; lapidearum meminit Curioſiſſimus naturæ Lynx. *Vliſſes Aldrouandus ſuo in metallico muſæo lib. iij. cap.* 2. cui *Bernardinus Cæſius ſua in mineralogia* aſſentitur *de miner. lib.* 4. *par.* 1. *ſec.* 5. quam authoritatem vt ego plurimùm veneror ſic inoffenſam vellem ſi quid noui in medium afferre conarer.

2 Aſſentior ego vtique Coralliorũ productionem recitatum in modum fieri poſſe, verùm quod coralliorũ omnis generatio ſemper ſua lapideſcentibus herbis debeat incunabula difficillimè adducor vt credam. Leuibus enim mihi videtur fundamentis innixa ſententia. Adductæ enim hiſtoriæ potiùs lapideſcentis ſucci vim comprobant, qualem *Vanhelmontius de lithiaſi cap.* 1. *n.* 13. nouit, quam talem eſſe certè generationem atteſtentur, neque mihi faceſſit negotium, quòd metamorphoſis fruticis ſpeciem referat; arboreum enim eſſe proprium, Corrallinæ ſpeciei eſt, prout in Cryſtallis obſeruatur Hexagoneitas, quapropter ſi in Hexagono vniformiter difformiter Cryſtallus creſcit, cur non tolletur cornu in arborea Coralliorũ. Vnaquęq; ſpecies proprios habet characteres, & quo plùs admirationis pariunt, eò magis conformatricis naturæ vires exaltant. Datur in mari corallinum ſemen ſiue ſeminaſcens ab opifice natura opportunè diſpoſitum, quo operante Nereides ſuos receſſus lapide pretioſo exornant.

3 At me coarguunt ſupracitati viri dum lapidem in fundo maris aſſero quem ipſi duce *Ouidio* herbã mollem enuntiant.

Sic & Coralium, quo primùm contigit auras
Tempore dureſcit, mollis fuit herba ſub vndis.

ſit

ſic xv. Metamorph. iv. verò

Nunc quoq; Coralijs eadem natura remanſit
Duritiem tacto capiant, vt ab aere, quodque
Vimen in æquore erat fiat ſuper æquora ſaxum

Et Orpheus de lapidibus.

κογαλιον χλωρη γαρ βοταvη πρωτον φυει.

Manes tantorum virorum mihi parcant, non erat philoſophi ſtare verbis, Ludentis Poetæ. Vlterius examinanda, inueſtiganda res erat. Eundum erat in Maris abyſſos ibique curioſiùs quomodo ſeſe res gereret indagandum, vt optata veritas extraheretur. *Botanicus Dioſcorides* vt pretioſiores ſuas herbas redderet, illis Corallium inſeruit, *Monardus* quoque non bene rerum naturalium deſiderio arſit, dum enim molle dixit corallium, tenuis ſe prædicauit ingenij. Adeant generoſum Dominum *Ioannem Baptiſtam de Nicole* Equitem Marſilienſem, Regium piſcationis Coraliorū in Regno Tunetano præfectum, qui in Mari Bizertino Anno ſupra milleſimum quingenteſimum octuageſimo quinto ductus deſiderio coralliorum naturæ inueſtigandę, iuuenem funibus ſufficienter longis alligatum, ponderibus vtrique manui annexis ad tutiorem, commodiorem deſcenſum in Mare centum perticas profundum demerſit, mādans vt curioſè attētèq; corallium in euellendo obſeruaret. Redijt è Pluti vicinia pretioſa piſcatione lætus, conſtanter adſeuerans eandem duritiem, quam ſupra, infra mare obtinere. Dubiam huic dans fidem eques aliquot maris vlnas ſubijt dum retia corallijs grauida extraherentur ſicque ſenſatus teſtis omne ſibi prorſus dubium ſuſtulit, durum enim adinuenit. Confirmauit idem, Dominus *della Pioter* Nobilis Lugdunenſis qui Anno milleſimo ſexcenteſimo decimo tertio ab huiuſmodi piſcatione è Barbaria reuerſus eſt. Sic *Beguinus Tyroci. chim. lib. 2. cap.* 10. nulla ratio contra experientiam, cecinitque optimè Poeta.

Non

. . . . *Non omnia grandior ætas*
Nos quæ ſcimus habet, ſeris venit vſus ab annis.

4 Miror *Olaum Vuormium* experientijs ſuo in Muſæo recitatis, aſſeruiſſe tamen corallium viridem eſſe ſub vndis fruticem potiùſque ſomniantibus Poetis, quàm viris vitæ cum periculo experiẽtibus pręſtitiſſe, fidem. Confirmata vel ſub vndis coralliorum duritie curioſioris philoſophiæ eſt inquirere vnde nam roſeo, vt plurimùm colore refulgeant, nonnulla palleant aliqua nigrum colorem præſeferant. Si quid torquens in philoſophia ingeniorum eſt, id præcipuè eſt colorum cauſa. Libellus de coloribus Ariſtotelis operibus adnexus tot ſcatet erroribus, vt tanto philoſopho indignum fateri ſit neceſſe, dubius fuit in vaticinio *Claudianus in manlij Panegir.*

Sitne color proprius rerum, luciſne repulſu
Eludant aciem?

aſſeruit *Lucretius* colores progigni luminis ictu. Alij à quatuor primarũ qualitatum dominio colores omnes enaſci crediderunt. *Democritus* verò, qui teſtè *Ariſtotele lib. 1. de gene. t. 5.* videtur omnia curaſſe, & principia ſuppoſuiſſe, quæ ad omnia accommodari poſſunt ſenſit.

Colorem eſſe lumen internum corporum ab atomis igneis diffuſum, & per alios atomos refractum, conſentientem habuit *Diuinum Platonem in Timæo* aſſerenam corpora propter ignem videri, & propter terram tangi, & alibi color eſt flammula quædam, fulgorque corporum à ſingulis corporibus emicans, partes habens viſui ad cenſum accommodatas.

5 Hos tota pene ſequitur chymicorum ſchola dum ſancit ex ſulphure colores oriri, ignem enim ſub ſulphure veneratur, licet non defuerint, qui ſali tincturas attribuerint, prout videre eſt apud *Simonem Paul. ſua in parechaſi de febribus acutis.* Corallia ergo quò elaboratius ſortita fuerint ſulphur, tantò magis emicant, quò incoctius vel cineritio, vel fuſco colore

tin-

tinguntur. Colorantem naturam poteſt etiam interturbare impingens metallica fuligo, quæ prout opificem ab inſtituto deducit ſic ſui imprimit characterem. Hæc de coralijs ſufficiant ſi plura cupis, adi *Cæſium in Mineralogia*, *Vlyſſem Aldrouandum in Muſæo Metallico Olaum Vuormium ſuo in Muſæo* doctiſſimi hi viri apprimè deſideria tua explebunt.

DE TESTACEIS E MONTIBVS effoſſis, & lapidificatis.

Cento Tertius.

1 ITur in terræ viſcera vt effodiãtur opes irritamenta malorum, reconditæ magis montium latebræ penetrentur, vt eruantur naturæ miracula Theorici intellectus oblectamenta. Vidimus in ſaxis Cryſtallos enaſci, intuiti fuimus corallium in Maris fundo produci, rupes rurſus adeamus inueſtigaturi ſi quid inibi generetur vi cuius in animis philoſophantibus excitetur illud ſciendi deſiderium, quod *ſtagirita 2. de anima* illis attribuit. Non quærimus aurum, foſſilem non adoramus lunam, verſatilem reſpuimus Mercurium, cæteriſque metallis vale dicimus, tenuiora nobis examinanda ſunt, vt cum ſupercilio maximam in minimis naturam alloquamur. Mare Fouere ſinu margaritiferos, faſciatos, concauos, conuexoſque conchitos, oſtracites, oſtracites Coralloides, Conchas craſſas, rhomboides, hirſutas, & Tuberoſas, Cochlites, Turbinites, Mijtes, innumeraque alia teſtacea, cruſtacea, rationi hoc vtique conſonum erat, & congruum: verùm quòd hæc pariant montium ſinus; prout iſta reperiuntur in ſicco, ſic hæret in ſicco ingenium. Fabulas haud narramus iſtas nouit accuratiſſimus. *Aldrouandus ſuo in Muſæo metallico lib.*

lico lib. 4. nos iſta vidimus per Manfredum Septalium Equitem Mediolanenſem virum virtute, & indefeſſo rimandi ſtudio nulli ſecundum proprijs excerpta manibus, montibus in Dertonenſibus, dum Ianuam contenderet. Craſſam tunc magis, magiſque noui meam ignauiam, dum conchite vnionum prægnante ſub oculis poſito, à monte excerpto; & de vnionum generatione, & de conchitis ortu interrogatus, ſtabam veluti aphonos, neſciens quo me verterem.

2 Subijt in mentem quòd apum Cæſarumque Poeta *Virgilius* cecinerat *in Georgicis*.

Deum namque ire per omnes
Terraſque tractuſque Maris Cœlumque profundum
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum.

Talem vtique Plaſten in re dubia inuocare, magnum erat afflictæ menti ſolamen; verùm honeſtum vtique non erat philoſophiam profitenti in Cœlos effugere ſuppetias inde petituro, vt ſub ſyderea cauſa exploraretur. Noueram tamen ex *Ariſtotele lib. de mundo*. Vetus ſermo eſt à maioribus proditus inter omnes homines, vniuerſa tum ex Deo tum per Deum conſtituta fuiſſe, atque coagmentata; quapropter videbar mihi, & philoſophi partes ſuſtinere poſſe ſi generationem incognitam adſcripſiſſem cauſæ primæ. Deum rerum omnium principium, & finem continere ſenſit *Theophraſtus*, cui in *Timæo* viam ſtrauerat *Plato*; quapropter non ſuſtinente natura funditus luſtrari, opera inſolita, ſua ſponte obtenebrante, vt ipſam potiùs admiremur quàm diſcamus, pænè eò redactus eram, vt non vlteriùs inquirerem. Sed *nitimur in vetitum ſemper cupimusque negata*, omniſque auſus in rebus arduis laudem ſuam meretur. Artificioſa oſtreacitis elaboratio, rurſus excitauit mentem, vt opalę ad inuidiam eluceſcentis pictricem manum adinuenirem. Errabat inibi forſan Appellis vmbra quę miracula geminaret, ni depurato ſulphuri mixto inexi-

inexiſtenti opus coloratum potiùs velimus attribuere. Iam iam enaſcentem contemplatus vnionem ſuſpicatus fui montanas nymphas Maris littora aliquando acceſſiſſe, inibique à tritonibus humaniſſimè exceptas ſinu marinorum entium repleto ſuos in montes retuliſſe, cum ros inibi cadens coagmentante ſalſo deſtitutus haud talia poſſet progignere. Huiuſmodi inanibus paſcebam animum, quæ fameſcentis intellectus appetitum non explebant.

3 Subijt mentem rurſus oſtreacitis generatio, quiſnam generans, quæ enitens eſſet, cum recordatus ſum quoſdam philoſophos vt ſeſe à tantis macrocoſmi expedirent opificijs, & ne cuilibet effectui ſuam cauſam præfigentes infinitis principijs pulcherrimum rerum ordinem confunderent, humanamque potiùs mentem inextricabilibus implicarent ambagibus, quàm naturalia edocerent, communem poſuiſſe mundi animam, quæ omnia operaretur, tenuiſſimamque eſſentiam planè ſubactam, & ad vnguem excuſſam velle, eſſe hoc extremum agmen carpere, vltimos conatus infringere, ipſamque naturam exanimare. Afferunt naturæ plus decoris, & maieſtatis tenebræ, quàm ſplendores, nam iſti noti vix aſpiciuntur, inuiſæ illæ accuratiùs obſeruantur, receptumque eſt apud mortales naturam in ſuis operibus minùs cognitam pluris æſtimari. Ludere naturam quæque teſtacea in Mari pepererat, ſaxea in montibus efformare; fructus, quos in viridarijs exhibent plantæ, lapideos in montibus repræſentare; humanis artubus ſignare lapides; locis natalitijs hæc congrua erant, & quãuis in admirationem trahant, acquieſcit nihilominus intellectus, Steſicrates in ſaxis latere poſſe qui delineent ſcalpant, incidant: ſed faceſſit negotium, quòd Maris enixus ſibi vendicent montes, quodque oceani credebatur ornamentum, deliteſcat in rupibus.

4 Non defuere qui dixerint in vniuerſali illa, errorumque morta-

mortalium punitrice inundatione, effundentibus ſeſe vndique oceani vndis, quibus impurus elueretur orbis, acta hæc animalia aquis alicubi hæſiſſe, vel ſabulo obruta, vel aquis deſtituta, quæ fluentium aquarum, præterlabentiumque nunc fluminum corroſione detegantur. Sed iſta cum ſupra millenos repetantur annos, omniaque exædat, ac corrodat vetuſtas, difficillimè lector adducetur vt credat. Omitto *Naſonis* infelicis opinionem canentis in *metamorph. lib.* 15.

Vidi factas ex æquore Terras
Et Procul à mari conchæ iacuere marinæ.

fabulanti enim Poetæ, quæ danda fides?

5 Sentirem ergo cum teſtaceorum prolifica virtus in marinis aquis reſideat, & aquæ terram vndique ſubeant, vt generationes inde ſequātur, quarū iuxta *Thaletem mileſium* præcipua cauſa ſunt, cum à calore cētrali terræ rarefactæ vndiq; diſpergantur ſeminalibus imbutæ teſtaceorum principijs, limum alicubi offendentes teſtaceæ formæ capacem ſenſim introducant, quæ multos ſeruata per annos tandem petrefiat. Haud multùm in hoc diſcrepo ab *Goropio*, ab *Vlyſſe Aldrouando* licet ipſe *lib. 3. de Teſtaccis, cap. 1. tit. Secus, & in Muſ. metal. lib. 4. cap. 62.* turbinitū in montibus generationē turbinatim aſcendenti vapori attribuat, cui ego non aſſentior, extrinſecus enim ſi quid poſſet vapor, tornaret materiam, non verò interiùs; dein, motus turbinoſus violentus eſt, nec in obſtaculis fieri poteſt, quod in micantibus ex nubibus exhalationibus optimè conſpicitur, quæ ſi in planum incidant tryphonem ſuſcitant, quæ & ſi intra montes daretur cum momentanea ſit tantam materiæ non poſſet infigere ſignaturam. Lector verò meminerit canentis Poetæ.

Bonorum eſt
Cuncta Theonino non rodere dente, ſed æquo
Pro genio, proque ingenio meliora referre.

Si ſint in promptu, ſi non communibus vti.

6 Tetigimus ſuperiùs petrificatos conchites vnà cum alijs maritimorum animalium integumentis lapidefactis adinueniri, vnde autem fiat hoc non elucidauimus. Obſtupeſcebam planè in iſtis naturæ metamorphoſibus; intueri enim licebat mutatam ſpeciem ſeruatis accidentibus, quid ad hęc philoſophi illi clamantes accidentia non tranſeunt de ſubiecto in ſubiectum? analoga enim nerueę conchitum ſubſtantia per quã vnum concauum adhæret alteri adeo pelluciditatem genuinam conſeruabant, vt ni à tactu intellectus certificatus, fuiſſet ab oculo deceptus. Internus ille concharum ſplendor ſic benè micabat in ſaxis, vt felicior in lapide viueret, quàm in animante, nec erraſſet forſan aſſerens meritò in lapides tranſire huiuſmodi naturæ labores cum ingenioſa omnia promereantur æternitatem. Petrificantis ſeminis hæc eſt eximia qualitas, in multis vegetabilia excedens, illisque ſe potiùs præſtans. Reliqua enim ſemina requirunt, vt ſubſtrata ſibi materia reducatur in liquorem ſequacem, & ſeminis ſuſceptiuum, quem primam generationis materiam dixere, poſtulantque vt deſtruatur quoque omnis figura, & decor præcedentis concreti: at ſemen petrificum reſeruata intermedia putredine, aut materiæ diſſolutione totum per totum petrificat tam oſſa ſcilicet, quam cutim. Tanta patrat ſeminis lapidifici inuiſibile fermentum, vt *Ioannes Boterus* meminerit hominum lapidifactorum, pecorum, camelorum in Orda Tartarorum regione; ſic Friderici Imperatoris chiroteca fuit vna ſui parte petrificata, qua ſcilicet intra fontem tantiſper maduerat, ſic in agro Veronenſi inuentus fuit cuniculus quem dixiſſes à Praxitele animatum, ni pilorũ veſtigia adhuc in capite durantia animal vixiſſe olim teſtata fuiſſent. Familiares habemus Gorgonas, quas ſi cupis adi *Vlyſſem Aldrouandum* qui quamplurimas tibi patefaciet metamorphoſes Niobæas.

DE

DE AGATE, SIVE ACHATE.

Cento Quartus.

1 VOcor ad agaten tãquam ad bonum, ſonat.n.bonũ, grçce τὸ ἀγαθόν & *Albert. Magn.* ſymphono Gamã ſcribit: qui verò per X. ſiue chi ſcripſere deduxere etymon, ab Achate fluuio Sciciliæ, vbi primò gemmam hanc fuiſſe adinuentam, Plinius tradidit poſteris. Nomina varia, gemma hęc ſortita fuit non primæ intentionis, ſed quæ concretum explicarent. Eam nonnulli appellauere Phaſachaten palumbini reprẹſentantem coloris, φάσσα enim palumbum notat: Cerachaten dixere alij, quæ corneo eſt tincta colore, κέρας enim Græcè cornu ſignificat: alia nomine Leonachitis inſignitur, quæ rutilantem præſefert Leonis colorem: alia hæmachates eſt ſanguineo tincta rubore; αἷμα ſanguis: dendrachates alia, arbores referens δένδρον enim arborem notat. Alia Corallachates quę coralliuum referat, Pantherachates quæ pantheram. Nebriſidem vocauere, alij quæ ceruino maculata colore fulueſcat. Νεβρὸς enim pullum ceruinum ſignificat, quæ verò perſpicuitatis inſignis exiſtit, leuchachatis ſibi vindicat nomen λευκὸς enim Græca vox eſt album ſignificans. ſic quilibet ad libitum noua illi poteſt nomina indere prout variè à ſulphure interno tincta legitur. Sacratam Agaten Mercurio referunt, non quòd eloquentem hęc geſtata reddat hominem prout *Albertus*, & *Rueius* ſenſere, verùm myſterioſa antiquitas multicolore lapide, verſipellem Deum ornauerat.

2 Ludit natura in hac pictricemque technin prima rudimenta docere videtur dum varijs reperitur exornata figuris, prout *Morbodeus* elegantiſſimè cecinit.

Hic lapis ingenitas perhibetur habere figuras
Nunc regum formas nunc dat ſimulacra Deorum.

Intueri licebat iſta in Pyrrhi Epirotarum regio annulo, in quo tanquã ſydus epicyclo incluſum emicabat agates quę hermatherei inſeruiens nouem muſas cum Apolline exibebat. Irridet rem hanc *Cardanus*; ſed ridendus ipſe ſua in ſubtilitate craſſus; picturæ enim opera diu tumulata non reuiuiſcunt. Omitto agatem S. Franciſci de Paula imaginis repreſentantem, omitto agatem ſelenitem, in qua Sol irradians dubium intuentem reddebat; Sol ne agati ſplendorem impertiretur, an Sol ab agate irradiationem emendicaret: dies enim me deficeret ſi curioſiori calamo omnia agatis miracula perſequi vellem, quibus oſtenditur ab phyſi omnium parente reconditos ſeruari zeuxes vt geminatis miraculis puſillo in lapide ingentes theſauri habeantur. *Vlyſſes Aldrouandus* ſuum Muſæum gemma hac nobilitauit, *Bernardinus Cæſius* ſua mineralogia achatem excepit quos quiſque adire poteſt, vt quamplurimos & inauditos lapidis curioſitates aſſequatur.

3 Mihi inſtar omnium vna erit, quam in admirandorum meletitirio Nobiliſſimus Manfredus Septalius θαῦμα θαυμάτων vt Platonicis vtar ſenſibus, reſeruat. Eſt hæc leuchachates figuræ ouatæ, rotundam auellanam mole æquans, cuius in meditulio innatat pellucidus humor, conglaciantem hyemalis frigoris ſæuitiam irridens. *Abbas Caſſianus à Puteo*, quem apud Vrbanum Octauum Pontificem verè maximum dixiſſes rediuiuum Senecam, naturalium rerum curioſiſſimo Septalio donauit, quam exactiſſimus naturæ obſeruator *Plinius* Enidros nũcupat. Quantam lapillus iſte parit admirationem; Hæc ſunt, quæ ſuperbientem, ſupra humanum captum, naturam conſtituunt, magnam intellectus potentiam paruis modis tenuantem.

4 Vt meum in generatione obſcura expromã conceptum,

cum

cum aquea lapidum materia ſit, rotundamque ambiat natura figuram qua ſe tutetur, & conſeruet, prout obſeruare licet in cadentibus guttulis ſeſe in orbem colligentibus, incidens ſeminale lapidificum in ſubiectum aqueum illud conglutinauit expreſſo quodammodo menſtruo inutiliori interiùs, incapacique lapideæ formę: reſultare poſſe inutilia phlegmata ſpagiricis initiati ſacris in nouis generationibus obſeruant, quale ex vitriolici, & tartarei olei vnione, nouum tartarum vitriolatum generante. Concameratio verò illa poſſet in flatum refundi bullæ excitantem, prout videmus in aquis; cui bullæ ſuperuenerit lapidificans, & obdurauerit ad philoſophorum acuenda tamquam ſuper cote ingenia. Si quis potiora afferat.

Non ero ſtultè repugnans aut amans mea
Quin ſtatim culpanda delens præbeam rectis laum.

5 Alteram apud eundem Septalium Elegantiſſimam hæmachatem vidi, cuius diuiſæ ſinus, innumeros obtulit ſcintillantes Beryllos, pretioſiora vel ipſa natura occultante. Modum autem generationis fuiſſe dicerem cum natura inuolucris puriora contegat, vt delicatiora; quo minùs ab externis lædantur, ſic ſemina ſuis includuntur corticibus, quantòque purior materia fuerit, eò pretioſiores effingantur lapides adueniente vi lapidificatrice; tamquam hoſte omnium deprædante neque ſolummodo mœnia verùm etiam cuſtoditas diuitias in ſuam poteſtatem redigente: quo circa craſſior humor in agatem concedens ſuæ non deſertor militiæ quem fuerat puriorem humorem tutatus, pretioſiorem continendo lapidem ſeruat. Elucubrationem hanc

Iudicio perpende, & ſi tibi vera videtur
Dede manus, aut ſi falſa eſt accingere contra.

DE SVCCINI ORTV.

Cento Quintus.

1 FLectam iam ſaxorum aſperitate defatigatus in oceanum, adibo algentem vrſam, percurram exotica maria, ſuccinum domeſticam gemmam expiſcaturus inueſtigaturuſque, quinam vterus, quo agente pręgnans, fœtum pretioſum emittat in lucem. Poetica hinc procul figmenta nihil enim ſapiunt philoſophici ſalis; teneat cum ſuis meleagribus indias *Sophochles*; Amorum metamorphoſeonque Vates *Ouidius* ſuas celebret Phaetontiadas, verùm ſunt ſacris arcendę philoſophicis, lacryma enim nil citiùs areſcit. Mitto Heſperidum hortos, ſomniatas electridas inſulas; maioris notę philoſophos inuiſurus, ſed oratione laconica ne inſuaui logo lectorem faſtidiens, illis me damnet vndis, in quibus tantiſper curioſiùs immorabor.

2 Preſſere poetica veſtigia. *Dioſcorides lib. p. cap.* 98. *Serapio*, *Auicenna* dum ſtillantem è populis ſcripſere charaben; Charabes vox eſt Arabica ſignificans rem oblatam, cum autem in ſacrificijs *Arabes* ſuccinum offerant, dicerem charabem, *quos Pauſanias in Eliacis* concomitatur: attamen hos refellit *Solinus cap.* 32. *Polyhiſtr. Plinius lib.* 37. *cap.* 2. *S. Iſidorus lib.* 16. *cap.* 88. quamuis ipſi alteri plantę adherentes, pineæ nempe, non ſint audiendi. Iſtos refutatos videbis ab *Agricola de nat. foſſilium pag.* 231. 232. Miror *Ioannẽ Fabrum* Chymicum ſolutiſſimum ſuo *panchym. lib.* 3. *ſect.* 8. *cap.* 12. in hac fuiſſe opinione, ſuccinum eſſe ſulphureum gummi à plantis pineis in ſeptentrione exſudatum tamquã quid ſuperfluum, & excrementitiũ ex plantarum alimento reſultans. Stagirita & ille excellens philoſophico in regno *Plagiarius*, qui ex optimis philoſophorum quorumcumque

lacinijs

lacinijs pulcherrimum ſibi centonem prætexuit à quo apud nõnullos circumambulones, & tenebroſos philoſophos abſcedere eſt nefas, ſuccinum arboris ſuccum eſſe credidit.

Alterius, opinionis author *Cornelius Tacitus* eſt *de moribus Germanorum*, inquiens, ſuccinum eſſe ſudorem arboreum, qui Solis radijs expreſſus in proximum mare labitur, vi tempeſtatum in aduerſa littora exundantem: verùm ſudores fundunt vix humana corpora ſub vrſa; nec quæ feruentiorem patiuntur ſolem, delicatiori licet genitæ ſolo arbores ſub Sole ſudant; neque ſudor cum ſit expulſio excrementi ad minima redacti, & per minima tranſeuntis poſſet rurſus in fruſta coire magnitudinis non ſpernendæ. Si delaberetur in Mare deniq; quęnam ſint iſtæ arbores latet adhuc, forſan in ſeptentrione nunc obrutæ niuibus iacent, vnà cum quibus ſomniatum hoc ſepelitur.

3 Non defuere qui dixerint eſſe ſuccinum ſperma cæti, alij fructum arboris in Mari exiſtentis, alter forſan vt cariores venderet piſces, iecore ſuccineo ditauit, aſſeuerante altero, ſit honos naſo, & auribus, ſtercus eſſe. Hæc *Braſauolus* refert in examine gummium ſic *lib.* 7. *de ſubtilitate* meminit *Cardanus*; rem tamen fecere dubiam de ambro ne; an de ſuccino opiniones relatæ loquantur. *Demonſtratus* Succinum appellauit Lyncurium ex eo quod crederet vrinam lyncis concreſcere in pretioſum lapidem, quam opinionem *Agricola de nat. foſſilium* ſupracitato loco reiecit, *Scaliger exercitatione* 104.*ſect.*12. explodit inquiens. In Germanijs Inferioribus, Scythijs, & Sarmatijs eius animalis magna frequentia; nuſquam ibi gentium lapis eiuſmodi; *Ruciuſque* ait, Fabuloſum omnino eſſe ſuſpicio eſt, quòd plurimis gemmarum perſcrutatoribus videtur, lyncurium ex lyncis animalis vrina, mox à deiectu contecta, Solis deinde ardore concreta, ac durata conſiſtere. Lyncurium quidem

ſuccinea gemma eſt, verùm ab animalium excrementitijs vindicata natalibus, & *Alcaſſarius* aſſerit, eſſe ſuccinum durius, rarius, & pretioſius. Omitto quamplurimas ſuccini generationes, quas apud *Pliniũ lib.* 37. *cap.* 2. ad libitum poteſt vnuſquiſque videre: hæreo ego quidem, magis ne animalcula capta per pretioſum carnificem hunc torqueãtur, an naturalium rerum indagatores in huiuſce exortu inueniendo excrucientur; tanti certè gemma non eſt; quanti habendi ſunt inſignium virorum labores qui ſuper hac inſudauerunt. *Cæſius lib.* 3. *cap.* 8. & ipſe primæ notę Mineralogus eruditiſſimè de hac diſſeruit concludens ſuum non eſſe tantas inter celeberrimos authores, lites componere, vel qui ſcopum magis attigerit adiudicare.

4 Extitit *Nicias* quidam qui rem interiùs rimatus aſſeruit ſuccinum eſſe talem ſuccum terrę pinguiorem Solis radijs interdum ex terra allectum. Quam ſententiam Agricolæ diſplicentem *Gebellius* tamen *lib.* 2. *de ſuccino* non improbat, quin immò doctiſſimè Nicianos ſenſus exponens principia ſuppoſita explicat generationi maximè accomodata, prout quiſque apud eundem legere poteſt. Celebrioris ſententiæ Dux, & Patronus acerrimus *Agricola* eſt quem *Cardanus lib.* 5. *de ſubtilitate, & Gebællius* loco ſupracitato ſequuntur; cuius Theſis eſt Succinum eſſe Bitumen. Hanc opinionem non aſpernatur *Matthiol. in lib.* 1. *Dioſc. cap* 93. huic *Braſauolus* fauet in *examine gummium* licet ſibi ipſi contrarius. Aſſerit ergo *Agricola pag.* 233. vt ex multis vnum ſeligam contextum, quoniam pingue eſt ſuccinum atque ardet neceſſe eſt vt ſit, aut ſulphur, aut bitumen; ſed Bitumen potiùs eſſe quàm ſulphur indicant fontes varij coloris bitumen effundentes &c. Aſſecla *Gebællius* vt diaphanam flaueitatem ſuccini è nigro Bitumine prognati tueatur, ſequentem in modum philoſophatur, Dilucidior enim & purior fit color, quo citius reſolu-

tum

tum bitumen aquæ præſertim frigidiori miſcetur, quæ caloris impetũ moderatur, ac ſpiritus efficientes corpus diaphanum, ne reſoluantur coercet, tollit denſitatem, atq; inæqualitatem. Ab aqua enim oriri pellucidum colorem indicant gummata, ea namque ſi diſſoluantur in aqua magis perſpicua fiunt; at reprehendendus eſt in hoc *Gebællus*. ſic *Agricolæ* excogitatum ſub incude reuocandum eſt experiendumque an philoſophicum malleum ſuſtineat. Et primo in modum dubitantis ipſe loquitur cum aſſerat, aut ſulphur, aut bitumen eſt: probationem verò quam aſſumit vt ſuam confirmet in Bitumen inclinationem nullius momenti eſt. Fontes enim ſi bitumen varium emittunt, non per hoc ſuccino ſcatent, colorque adeo leue accidens eſt, vt cum de multis poſſit prędicari certam nullam eliciat conſequentiam: neque ex eo quod aliquo in alio pathemate fortuito conueniant per hoc idem ſunt, non valet enim argumentum Petrus eſt ſimilis Paulo, ergo Pętrus eſt Paulus. Sed *Agricolam* logica contentione perſtringere nolo, philoſophum .n. ago. Duplex bitumen eſt, liquidum aliud, alterum durum quod ſuccinum ſit liquidum Bitumen, licet ſemel vel ter, vel quinquies molle fuerit adinuentum non per hoc arguitur quod ſuccinum prout ſuccinum liquidum ſit, liquida enim ſubſtantia dum adhuc fluit adhuc eſt in potentia remota ad Succinum, cum nondum illi aduenerint entia ſeminalia requiſita ad compactionem, vnde potiùs oleaginoſæ vel ſulphureæ ſubſtantiæ, quàm ſuccineæ nomen promeretur; idcirco ſub hoc ſuccinum cadere non poteſt. Si verò durum bitumen, ſuccinum aſſeueret cur dicitur ſuccinum, non verò potiùs bitumen flauum? cum Bitumen Iudaicum quod durum, & ipſum eſt bituminis nomen retineat? Spagirici philoſophi veri naturam, anatomiſtæ eſſentiam diuerſam in vtroque noſcunt, non enim extrahunt ex bitumine quę ex ſuccino eliciunt; & per proprietates eſſentiales ſubiecta

diuerſi-

diuerſificantur quæ cum multum in vtroque diſtent arguunt diuerſam formam ſubſtantialem, à qua diuerſitas ſpeciei, ipſi græci qui ex rerum viſceribus nomina curioſi extraxere ἀσφαλτιν bitumen vocant ἤλεκτρον vero ſuccinum, vnde cum diuerſis illa indigitauerint nominibus non eandem in vtroque ſubſtantiam cognouere. Si verò latè loquendo ſuccinum Bitumen appellare vult *Agricola* de nomine vlteriùs non litigabo, cum ſubſtantia tamen non eadem maneat. Omitto plurima contra Agricolam ne nimius ſim,& ad *Geballium*, me confero, antiquam quandam, & obſoletam iam philoſophiam redolentem, vt ſtupeam virum alioqui doctum, altiùs ſupra colores non ſciuiſſe. Sentit ab aqua pellucidum oriri colorem; cum aqua ſit nullius coloris; ſed diaphana, nemoque dare poteſt quod non habet; gummataque fiunt pellucidiora, quia lota, abſterſa enim exteriùs ab impuritatibus craſſioribus; internus ignis, ſiue ſulphur colorum pater rutilantius ſcintillat.

5 Communioribus refutatis quid aſſeram ego eminus adhuc philoſophię limina ſalutans? aſſeramne meliora, an tollent de me riſum impune coronę? Sed eia chimico duce Apolline aſſero dari liquida, quæ obdureſcunt à ſalibus, & rurſum dari ſolida quæ immediatè liqueſcant. Sal vrinæ fixat in ſciſſile butirum ſpiritum vini, ſpiritus nitri ſtatim lunam ſoluit. Tria quoque ſunt propria rerum ſal, ſulphur, & mercurius, hæc cum ſint generationibus dicata, & mixtorum productioni ſubſeruiant, in inani Democriti ſunt vbique colorata, vt ſe ad inuicem atomi quæritantes, coniugali amoris nexu iungantur. Adſunt occulta ſemina rerum vbique diſpoſita, pro vt cecinit *Lucretius*.

Semina multimodis in rebus mixta tenentur.

quibus generationes nouæ, ne ſenio labatur orbis, promoueantur. Idcirco ſcatens è terræ viſceribus ſulphureus humor,

ſalem

ſalem in Mari offendens, cum coagulationis capax ſit, duratur pene in lapidem, illi ſale conſiſtentiam vnà cum proprio ſemine tribuente, fluxurus ni præpediretur. Quò purior ſulphureus eſt mercurius, eo fit pellucidior gemma, ſi verò alieno tincta vapore dureſcat; natiua genuinaque puritas adulterata conſpicitur, illius referens coloris, cuius immixta fuligo impreſſit characterem. Quæ verò friabilis alba adinuenitur in Mari, & eſt quodammodo per longam moram in ſalſo calcinata. Opinionum varietatem ne mireris lector, lapis, & ipſe inconſtans eſt, cum ex *Conrado Geſnero* lapis lunaris dicatur incrementorum lunę, & decrementorum conſequens; tu interim meos hos labores, qualeſcumque ſint, excipe ſi dexter annues lætabor; ſi non neque Iuppiter Placere omnibus poteſt.

DE AMBARO.

Cento Sextus.

1 NON malè ſemper olebunt meæ lucubrationes, odoriferum ambarum ſuauiſſimum exhalando odorem, nauſeanti centoni charites, & delicatiſſimum fauum communicabit. Ambarum griſeum apud mulieres in delitijs eſt, clarificando enim optimè ſanguinẽ elegantiſſimè faciem perpolit. Sub ſuccino contineri ambarum ſunt qui aſſerant, ſunt qui negent, neutra factio authoritatum patrocinijs, & rationum momentis diſtituitur.

2 *Agricola lib. 1. de nat. eorum quæ effluunt ex terra pag.* 100. Bitumen, inquit, liquidum in cinereocandidum emanat, ad maritimum Arabiæ felicis oppidulum quod ſichriam appellant, id ipſum etiam concretum Arabes Ambram vocant. Idem *lib. 4. de nat. foſſilium* ſuccinum, & ambram bitumi-

bituminis inter genera connumerat, & *pag.223. eiuſdem libri* aſſerit ſenſiſſe *Auerrhoem* Ambram eſſe camphoræ ſpeciem, quo nullum maius abſurdum Breuis mihi hic concedatur parecbaſis, dum de camphora incidit mentio, de qua loco citato ſatis diffusè egit *Agricola*.

3 Per Plurima ſæcula delituiſſe camphoram *Mattiolus in Dioſcor. cap. 75.* teſtatur, quapropter nec *Galenus* clariſſimum antiquitatis lumen, neque accuratiſſimus *Dioſcorides* illam ſummis naribus delibarunt: vt rectè cecinerit Poeta

Non omnia grandior ætas
Nos quæ ſcimus habet, ſeris venit vſus ab annis.

Tetigit tandem ſydere felici regnante Caphur Europæana littora incognitis prorſus natalibus, vt non defuerint, qui vel minerale Succinum illi aſſignauerint, vel è ſuccino ſuam deducere originem dixerint. Iſtorum primus *Auerrhoes*, qui à vero aberrans Caphuræ genus inquit, in maris alueo inuenitur, quòd deindè aquis innatat, & ambarum vocatur hic abyſſus abyſſum inuocat vnoque ignorato proprio ſequitur quod *Lucretius* canit

Ac veluti in fabrica ſi falſa eſt regula prima
Normaq; ſi fallax certis regionibus exit
Omnia mendosè fieri, atque abſurda neceſſe eſt.

Georgius Agricola, agro in philoſophico non benè tunc ſulcos ducens hanc opinionem confirmare videtur.

Cardanus ideo Bituminis ſpeciem Camphoram eſſe iudicat, quum ſuccinum ſi ardeat, & aqua madida mappa fumus excipiatur, caphuram oleat: verùm hoc naſutum teſtimonium ipſi vertit vitio ſatyricus *Scaliger exercit.* 194. aſſerens, iam ignauiæ numen proelyſijs campis oſtendis medico, cuius in ſinu Beatus conquieſcas. Contra Cardanum ſenſere pariter *Geſnerus*, ac *Libauius*.

Facilitas in flammiferè igniendo *Cæſalpinum* adduxit, vt crederet

crederet in bitumine tanquam ſub genere ſpeciem camphoram contineri, cui *Scaliger* ſalitè reſpondens camphorã inquit, falſo bitumen arbitrati ſunt, idq; miſero admodum argumento, quòd nimirum ardeat, nam & reſina, & oleum, & thus idẽ quoque patiuntur.

Leonardus Fuchſius lib. 1. *de compoſit. medicame.* acerrimus eſt huius ſententiæ patronus, inquiens, vt ſuccinum eſt liquidi bituminis genus, ita etiam id medicamentum quòd recentiores græci caphuram, mauri indico vt videtur vocabulo, camphoram apellant: verùm *Fuchſius*, menti offuſas ignorantiæ tenebras, potiùs quàm naturalibus illuſtratam ſplendoribus demonſtrauit.

Modernus Camphorę Anatomicus fatuis illius excogitatis, haud dignatur reſpondere. *Baccius*, *Sauonarola*, enarratæ opinioni adhęrent verùm ſuis in balneis de quibus diſſerunt naufragantur. Hos *Bauhinus* ſequitur de Fonte Bollenſi.

Herbæ cuiuſdam ſuccum pronuntiauit *Platearius*, ſed nemine plaudente.

4 Sanioris conſilij antropi ſenſere camphoram ex plantis exſtillare, quos inter *Auicennas lib.* 2. *cap.* 134. *Garcias ab horto*, *Scaliger* aſſerens arbor iſta vocatur *capur*, & inde reſina exſtillans capura, ſeu latinis camphora nomen habet, hæc arbor maxima eſt, rami adeo patuli, vt vmbram quàm latiſſimè iaciant ligni materia leuiſſima eſt, & rariſſima. *Actius*, & *Actuarius* dicunt, arborem iſtam in India adeò in ramis lætè luxuriare, vt hominum centuriæ ſub illius vmbra quieſcere poſsint. *Idẽ Bertius teſtatur* in Tabulis Geographicis inſulæ *Borneo*, in quibus omniũ pretioſiſsima trãſudat, illa enim quæ ex hondrera, ſiuè Perù affertur notę eſt inferioris, & deterioris conditionis. Idem alij neoterici de ortu camphoræ, ſentiunt, vt *Auſtaus Ruellius*, *Hugo Linſchottus*, *Martinus Martinius* Ieſuita, & modernus camphoræ Anatomicus *Moælius*, verùm de cam-

de camphora hæc in præſentiarum ſufficiant, quam calidam, & ſiccam ſtatuo, & vnde digreſſum eſt eò reuertatur oratio.

5 Ambram dixere alij *Serapione* duce è terra in mari latente enaſci, non aliter, ac fungi oriantur, quæ fluctuum tempeſtatumq; abſtracta vi, atq; à matrice diuulſa colligenda eijciatur in littora. Summis innatantem vndis genus quoddam piſcis odoris ſuauitate allectum auidiſsimè cibo expetit, vt in delitijs moriatur, ingurgitata enim ambra ſtatim animam euomit ita, vt piſcatores latum vndis obſeruent, gnari ſepultam in ventre ambram, quam eximunt, illi necem intuliſſe.

6 Autumant alij ſtercus eſſe illarum auium, quæ herbis odoriferis in maldiua inſula enutriuntur; ſi verum hoc eſſet vtique cum altero exclamarem miſeram mortalium conditionem datum aui, quòd negatum hominibus. Fulcitur ſententia hæc, ex eo quòd roſtra auium inibi nidulantium quam plurima pretioſo glutini viſa fuerint impicta; verùm reſpondet *Cluſius* non roſtra auium, ſed ſepiarum roſtella exiſtere.

7 Poſteritati tradidere alij ambram ſemen eſſe monſtri horrendi, informis, ingentis cætacei, cuius caput lapideam duritiem repræſentet, adderem forſan oneirogonos patientis.

8 Refert *Nicolaus Morandes* in canarijs inſulis, quæ fortunatarum nomen ſibi vindicabant, balæna extincta ingentem ambræ copiam exemptam fuiſſe, idq; accolarum exciuiſſe animos, vt venatum diſcurrerent, multiſque confoſſis balęnis, ne tantillum quidem ambræ adinueniſſe, quapropter in ipſis non generari argumento eſt. Occultos quoſdam inſtinctus animalibus natura inſeruit, quibus ſuis calamitatibus ſubuenirent. Modicam vim forſan habebit ambra qua ingruens in balænam affectus aliquis, vel corrigatur, vel retundatur: quapropter eiuſmodi monſtra, natura duce illam vt ſibi medelam adhibeant, quæritabunt. Legit Chelidoniam hirundo, vt orbos pullos reſtituat, quærit Gagaten, & achaten aquila vt ſuos

partus

partus facilitet, felicitet; Læſus neruo ceruus petit Elaphoboſcum, ſpiculis confoſſa montana capra, ad herbam ſpiculorum extractricem confugit, ruminat gramen canis, vt ventriculum leuet, hederam aper, quæque vſu rationis carent, imperſcrutabilibus natura inſtinctibus locupletauit.

9 Ambram ſuccinum eſſe *Braſauolus* opinatus eſt, & *Cardanus* huic aſſentitur, *Scaliger* verò *exact.* 104. *ſec.* 10. varias inter opiniones aſſerit, qui rem propius putauerunt, omnes pænè aliquid ex balęna putauerunt. verùm in fine ſectionis. Cum igitur tot ſæculis nulla ſit in illis, ideſt Balænis, ambra viſa, faciliùs inclinat animus, vt credamus fungi eſſe ſpeciem; cortice ſiquidem obductam maſſam vidimus, nec ſine ſquammularum veſtigijs, vt in fungo vetulo intus globulorũ cohæſionibus, potius accedit ad Tuberum naturam quorumdam quæ papillatim concreta ſunt. Si quid ad perſuaſionem facere poteſt illud huc adducendum cenſui, in Rutenis fungillos naſci perpuſillos, valdè odoratos; ad pyreneos etiam odoratiores, quos moſeronos vocanr. Hæc *Scaliger*.

10 *Ioanes* verò *Faber Panchimici lib.* 4. *ſec.* 7. *cap.* 49. ſaniorem, de ſuccino ſententiam profert formam in ſequentem. Poſt fœtidas, & malè olentes humidi viſcoſi aeris, & aquæ productiones, iuſtum, & æquum eſt, vt bene olentes, & optimè flagrantes productiones enarremus, inter quas ſunt omnes ſpecies ambari griſei, lutei, & nigri. Quid eſſet ambarum antiquitùs dubitatum eſt, iam non eſt in dubium reuocandum, cum ſit pinguedo aquæ marinæ ex humido eius pingui, & reſinoſo, in rupibus ipſius maris enata fungorum inſtar, imbibuntur enim ſaxa, & rupes marinę, & intra poros horum lapidum digeritur, & coquitur aqua, ſubtilius euaneſcit in vapores, mittit vbique terra vapores, in ipſiſmet medijs vndis, quòd craſſius eſt, & ſale turget fit lapis, & ſic creſcunt rupes in medio mari, ex craſſiori aquæ parte; quòd verò pinguius

guius eſt, ex illa craſſiori parte exudat per poros lapidum, & excreſcit in ambarum griſeum, ſi ſulphure albo turgeat; in ambarum luteum ſi ſulphure luteo abundet; in nigrum verò ſi nigro ſulphure turgeat hæc materia; bene autem olent omnes hæ materię præſertim ambarum griſeum. Si quid ſeminalis proprij cuius *Daniel Sennertus epit. phy. lib.* 5. meminit *cap.* 4. de lapidibus, & gummis, chimicæ ſuæ philoſophiæ *Faber* admiſcuiſſet ſententiam planè tuliſſet numeris omnibus abſolutam.

11 Verùm enim verò ſi exactiorem regionum orientalium notitiam perſpicaciſſimi philoſophi habuiſſent, duas ambari odoratiſſimi ſpecies conſtituiſſent, ſub quarum vna terreſtre contineretur, altera verò maritimum comprehenderet. *Aua* regio antarctica pene contermina polo arbores nutrit, quæ ex immanibus enatæ ſaxis, per pręruptaſque rupes fruticantes, dum longo annorum æuo grauatæ fatiſcunt, in truncorum imis ſcaturit fungoſa quædam materia, ſuauiſſimæ fragrantię exhalans, non vulgaris mercimonij in regno Sangionum. Ambari rubri nomine hanc barbari indigitant. Exercitatiſſimi ingenij *Scaliger*, acutiſſimuſq; phyſium indagator occultis actus philoſophię motibus non malè ambarum ſub anatomicam incudem reuocauerat. Altera verò ſpecies maritimum eſt, quod expiſcatur; &nonnullis in littoribus eoarum Indiarum, quod algaliæ fellis ſucco immiſtum, muſcum conſtituit, licet verum muſcum ex orientali regno *Gnai* deferatur. *Aua* tamen amæniſſimæ ſyluæ animal quoddam nutriunt, quod chinenſes appellauere *Rettiam*, voce, noſtra lingua, ceruum odoratum ſonante. Ceruum immaturum, corporis mole æquat, lupino capite, duos ſub labris terram verſus, dentes longos exerens, plùs timoris, quàm damni inferentes. Obſcurioribus ceruo tectus pilis tardè mouetur, incommodumq; quòd huius in venatione percipitur, eſt labor in inueniendo;

inuen-

inuentum enim ſtolidum animal impunè transfigitur. Triplicis gradus muſcus ex hoc paratur, prout legitur apud Patrem *Marinum* Ieſuitam *in Miſſionibus &c. lib. 5. pag. 449.* quem adeas, ampliùs enim mihi non licet fragrantiſſimis in odoribus delitiari.

DE MAGNETE.

Cento Septimus.

1 VEL latet in magnete prodigiorum operatrix natura, vel quidquid virium habuit, vni magneti efformando ipſa impendit. Satiant auaritiam gemmæ, inſatiabilem habendi cupiditatem aurum explet, inexplebilem diuitiarum ſitim fixatus tinctusq; extinguit mercurius, ſed in his nil ſupra metallicam eſſentiam adoratur; verùm grauiſſimo chalybi impertiri celerrimum motum, vndique lapidem ſeſe mouere, hominum itinera dirigere, per incognita Maria, Cœlos noſcere, ſapit hoc ſupra inanimatum lapidem: & tamen magnes huiuſcemodi glorijs locupletatus enaſcitur, rudia illius natalia inſignes dotes expoliunt, obſcura incunabula coemicans vndique virtus illuſtrat, quæ mentis philoſophorum obcæcans aciem, dum ferrum mouet, inquietam theorici intellectus potentiam ſtupore defigit.

2 Magneſia Græcorum regio illi nomen magnetis dedit, ſi *Lucretio* Poetæ acutiſſimo credimus canenti.

Quem magneta vocant patrio de nomine grai
Magnetem, quia ſit patrijs in montibus ortus.

Dicitur magnes apud *Portam* quaſi magnus, hoc nomen illi, admirandis effectibus, quos præſtat, comparantibus. Appellatur & σιδηρίτης Græcis vel ex eo quod cum ferro conueniat, ferrum enim Grece σίδηρος ideſt ratione maximæ ſym-

pathiæ quo mutuo amoris nexu iunguntur: vnde autem in mutuos amplexus ruant, philoſophis hoc faceſſit negotium.

3 *Galenus* tres attractionis modos aſſignat primum à calore, ſecundum à vacuo, tertium à tota ſubſtantia. Miſſis duobus prioribus inclinarem in tertium, ſed res adhuc exquiſitiùs enodanda, non quòd perfectam magnetis anatomen intendam; ſed vt polypragmoſines naturæ ſtudioſis apponam.

4 Attractio iſta magnetica quæ veriùs ex *Gilberto* coitio dicitur duplicem ſortitur differentiam *lib. 2. cap. 2. de motionibus magneticis*, altera magnetica dicitur, electrica altera nuncupatur. Quæ electrica dicitur obſeruatur non ſolummodo in applicatione corporum ad ſuccinum, ſed in alijs quamplurimis, puta, adamante, ſapphyro, carbunculo, Iride gemma, Beryllo, Cryſtallo, vitro antimonij, ſulphure, maſtice, cera ſigillari ex laca coloribus variegata affabrè compacta, innumeriſque alijs quæ experiũdo vſus adaperiet; quapropter plura attrahent, non tam à natura producta quam arte conflata, licet proprium attrahendi non ab arte inſeratur, ſed vel dirigatur, vel facilitetur; ars enim nullius eſt per ſe principium motus.

5 Cum autem principia realia corporum ſint materia, & forma, electricæ motiones à materia, magneticę verò à forma præcipuè inualeſcere ſentit *Gilbertus*. Ipſarum diſcrimen effectus produnt, formalis enim ſaxa penetrat potentior ictu fulmineo, materialis verò à minimo quoque ente hebetatur. Ad electrica feruntur multa, magnes pondera magna attollit, magnaque ſuccini moles non niſi exigua trahit, vnciarumque duarum armatus magnes ad octo ſupra decem ferri libras alliciet.

6 Verùm hac in materia non ſic ſimpliciter hærendum, ſed curioſiùs penetrandum an iſta attractio ſequatur, vel à corpore ſuis extremitatibus concluſo; vel ab aliquo effluuio iuxta illud *Lucretij*.

Princi-

Principio omnibus à rebus quaſcumque videmus
Perpetuo fluere, ac mitti fateare neceſſe eſt
Corpora, quæ feriant oculos, viſumque laceſſant.

breuiter ſpiritus egreditur ſic corpore concreto, & in hoc à *Gilberto* diſſentior aſſerente, materiam eſſe ſimpliciter cauſam efficientem motus ad ſuccinum, corpuſque attrahendum attingit, & attactum attrahenti vnit nulla in attracto qualitate remanente impreſſa.

Quęrit hic *Gilbertus* cur ſuccinum oleo perfuſum attrahat, ſpiritu verò vini madidum haud quaquam.

Reſpondet cauſam eſſe in eo, quod oleum ſit tenuiorum partium, quàm ſpiritus vini, vnde effluuia exeuntis virtutis non impediuntur, quæ vini ſpiritus præpedit.

Sed contra oleo conſeruantur ſuperinfuſo herbarum ſucci, oleo vaſis indito vina durant in longũ tempus, quia effluuium ſpirituum impeditur à craſſiori, ergo ſpiritus vini tenuior eſt quàm oleum.

Crederem potiùs ſympathiam quamdam ſuccino cum oleo intercedere, vnde familiaris oleaginoſitatis ergo, actionem non impediri ſed iuuari potiùs: ſpiritus autem vini cum ſummè tenuis ſit, attenuat etiam quàm maximè, id circo ſuccini attenuatis effluuijs attractorię actioni inhabiles redduntur, Multi tamen negant ſuccinum oleo perfuſum attrahere, ſit penes quemque experientia. Fortior magnetis vis me à ſuccino reuocat ſi de illo plura deſideras, *Gilbertus cap. ſupra c.* tibi abundè ſatisfaciet, nec non *Vliſſes Aldrouandus in Muſæo Mettallico, & Bernardinus Caſius de Mineral. lib. 3. cap. 8. ſect. 7.* egoque rapior ad magnetem.

7 Naturalibus occultatam latebris, ferri magnetiſque coitionem tentauere philoſophorum quamplurimi, efficientis cauſæ ſplendoribus illuſtrare; pro virili vnuſquiſque enixus eſt abſcondita reuelare myſteria, vt ex eorum detectione ipſi

philoſophicæ immortalitati conſecrarentur.

Aſſeruit *Epicurus*; atomos, indiuiduaque corpora à lapide ferroque defluentia figuris inter ſe conuenire, ita vt facilè ſe ſe amplectantur: cum enim in vtraque lapidis ferriq; concreta impingunt, deindè in medium reſiliunt obiter inter ſe connecti, ac ferrum vna trahere. Defluentium verò hoc atomorum effluuium ſolidiſſimis medijs corporibus interpoſitis poteſt impediri ne ſe taugant adinuicem, nihilominus coitionis deſiderium refringi non poteſt, quin ad allicientẽ magnetem accurrat amans ferrum. Quapropter *Epicuri* opinio labitur, licet prima facie non ſpernendis innixa fundamentis videretur. *Lucretij* carminibus hæc tamen inſignita refulget, cui & proprios ſubnectis ſenſus.

Principio fluere è lapide permulta neceſſe eſt
Semina, ſiue æſtum qui diſcutit aera Plagis
Inter qui lapidem, ferrúmque eſt, cumque locatus,
Hoc vbi inanitur ſpatium multiſque vacuefit
In medio locus: extemplo primordia ferri
In vacuum prolapſa cadunt coniuncta, fit vtque
Annulus ipſe ſequatur, eatque ita corpore toto &c.

8 *Thales Mileſius* cum intueretur motum impertiri ferro cenſuit hoc ſupra lapidificam formam, idcirco animatum eſſe magnetem opinatus eſt, quem fuit ſequtus *Anaxagoras*, ſubſcribente *Cardano*, viuere magnetem, contra quem monomachos *Scaliger* ingenij dirigit acumen *exercit.* 102. *ſect.* 5.

9 *Plutarchus* in quæſtionibus platonicis, platonicos ſenſus exponens, inquit, lapidem illum halitus graues profundere, quibus continens aer impulſus, eum qui ante ſe eſt ſendit, iſque in orbem agitatus, ac ad vacuatum reuertens locum, vi vna trahit ferrum. Fatetur *Galenus* ſe neſcire quid ſibi vellet *Plato*, motu hoc circumpulſionis.

Vanhelmontius in Blas locale nempe virtutem localem moti-

motiuam refundit coitionis effectus.

Cornelius Gemma x. coſmocriticæ vult ſyderitim per inſenſiles radios ferrum ad ſe trahere.

10 *Gulielmus Puteanus* non à totius compoſiti ſubſtantifici proprietate, ſed ab ipſius forma ſubſtantiali tanquam à primo, & per ſe mouente, & tanquam ipſius natura potentiſſima, atque ab eius temperamento natiuo velut inſtrumento, quo eius ſubſtantiæ forma efficiens vtitur in ſuis operationibus, ſeu cauſa ſecunda medioque priuata: ita magnes attrahit ferrum non ſine cauſa phyſica, & propter aliquod bonum.

Ingenioſa opinio ſed difficillimè percipitur iſtud formæ particulare temperamentum, quapropter, vt Puteanum ſua gloria non defraudo, ſic neque illi omnimode aſſentior.

11 Certamina & pugnas imaginatus eſt *Ioannes Baptiſta Porta ſua in magia naturali* aſſeuerans Magnetem, miſturam quamdam eſſe lapidis, & ferri; ita vt ſit ferreus lapis, aut lapideum ferrum; lapidem non in ferrum mutatum, vt ſuam naturam amiſerit, nec ferrum adeo lapidi immerſum, quin ſuum eſſe tueatur, atque dum alter alterum ſuperare nititur ex pugna ferri attractio euenit: eſſe in mole illa plus lapidis quam ferri, ideo ferrum ne à lapide ſuperetur ferri vires, & conſortium exoptat, vt quod ſolus non poteſt alterius auxilio pręſtet. Magnes, lapides non trahit, quia eis non indiget cum ſatis ſit lapidis in mole ſua, & ſi magnes magnetem trahit, non trahit ob lapidem, ſed ob ferrum lapidi incluſum.

Magus iſte quæ amoris circulo erant circumuincienda, Martis Caſtris comprehendit. Potiores fuiſſent ſenſus; ſi pugnam amoris ex vtroque conſtituiſſet, ex illa enim coitione aliud argui nequit, quam inſatiabile deſiderium ſe ad inuicem complexandi, verus excellentis amoris character. Delicatiſſimè de hoc Poeta cecinit

Quis calor infundit geminis alterna metallis

 Fæde-

Fœdera? quæ duras iungit diſcordia mentes?
Flagrat anhela ſilex, & amicam ſaucia ſentit
Materiam, placidoſque chalybs expoſcit amores.

Deoſculantur ſe adinuicem materiæ potiùs, quam litigant in mutuo contactu; neque magnes ſi ferro congrederetur, ſuas illi qualitates eximias ἀπαρχῆς impertiretur. Valeat magicus iſte belligerque philoſophus, *Portaque* aliò ſuos martiales efferat ſenſus; noſter enim magnes ſe amoris ſacramento addixit.

12 Sympathiæ meminere alij, cuius ſex ſpecies enumerat *Democritus* reuiuiſcens *lib. de atom. diſput. 2. cap. 3. propoſ.* 22. quarum prima dicitur conſenſio impetus cuius illuſtre exemplum intueri licet apud *Famianum Stradā* virum eruditiſſimum in proluſionibus Academicis, quod fabuloſum eſt *Cabæo*, illiuſque mentionem *kircherus* doctiſſimus facit in *lib. artis magneticæ*. Secunda conſenſus durationis quam videmus in morſu tarantulæ, vnguento armario, & chirurgia curtorum de qua doctiſſimè egit *Gaſpar Talliacotius* Bononienſis profeſſor opere ſingulari *Anno* 1597. Tertia ſympathia configurationis quam *Gaffarellus* explicat in ſuis curioſitatibus inauditis enaſcentem à ſimilitudine rerum, conſenſuque partium cum ſuo toto. Quarta ſympathia ciuilis eſt, datur hæc inter animalia ratione prædita, placet enim mihi Socrates qui alteri erit exoſus. Quinta ſympathiæ ratio eſt Ariſtotelica omnium vniuerſaliſſima, quæ eſt occulta quædam rerum proportio inter agens, & paſſum, qualis in magnete ſpectatur ferrum attrahente, auro poſt habito. Sexta eſt Democritica quæ atomis conuenit &c.

13 Exercitationum ſubtiliſſimarum adinuentor eximius *Scaliger* acutiſſimè aſſerit ad magnetem ferrum accurrere tanquam ad matricem vt reconditis principijs ſua illuſtretur rubigo, quemadmodum ad centrum terra.

14 Senſit

14 Senſit *Diuus Thomas* per magnetem ferro qualitatem imprimi per quam ad magnetem moueretur, hancque energiam virtute potiùs cæleſti quàm elementari vnione illi implantatam.

15 Cardinalis *Cuſanus* Eminentiſſimè ſic eſt philoſophatus. Habet ferrum in magnete quoddam ſui effluxus proprium, & dum magnes per ſui præſentiam excitat ferrum graue, & ponderoſum, ferrum mirabili deſiderio etiam ſupra motum naturæ (quo ſecundùm grauitatem deorſum tendere debet) & ſurſum mouetur, ſe in ſuo proprio vniendo. Niſi enim in ferro eſſet quædam prægustatio naturalis ipſius magnetis, non moueretur plus admagnetem, quàm ad aliũ lapidem; & niſi in lapide eſſet maior inclinatio ad ferrum quam ad cuprum non eſſet illa attractio. Contra Cardinalem loqui non licet.

16 *Marſilius Ficinus lib. 3. de vita cælor. comp. cap. 3.* ab vrſæ ſydere cauſam petit, cui, & magnes & ferrum ſubiecta ſint, & ambo ordine vrſam ſequente claudantur, ſed ſuperiorem in ipſa vrſæ proprietate gradum teneat magnes, inferiorem ferrum; atque ita magnetem, vt in ſuperiore gradu conſtitutum, trahere ferrum quod in inferiore gradu exiſtimat.

17 Non contemnendã *Gilberti* laciniam hic meus excipit cento, è *cap. 4. lib. 2.* extractam ſubſequentibus contextam filis. Magnetica formalibus efficientijs, ſiue potius primarijs vigoribus, incitationes faciunt. Forma illa ſingularis eſt, & peculiaris, non peripateticorum cauſa formalis, & ſpecifica in mixtis, & ſecunda forma, non generantium corporum propagatrix; ſed primorũ, & præcipuorum globorum forma; & partium eorum homogenearum, non corruptarum, propria entitas, & exiſtentia, quam nos primariam, & radicalem, & aſtream appellare poſſumus formam; non formam primam Ariſtotelis, ſed ſingularem illam, quę globum ſuum proprium

tuetur, & diſponit. Talis in ſingulis globis, Sole, Luna, & aſtris, eſt vna, in terra etiam vna, quæ vera eſt illa potentia magnetica, quam nos primarium vigorem appellamus. Quare magnetica natura eſt telluris propria, cuiuſque omnibus verioribus partibus, primaria & ſtupenda ratione inſita; hæc nec à Cœlo toto deriuatur procreaturue, per ſympathiam, per influentiam, aut occultiores qualitates; nec peculiari aliquo aſtro: eſt enim ſuus in tellure magneticus vigor, ſicut in Sole, & Luna ſuę formæ, fruſtulumque lunaticè ad eius terminos, & formam componit ſe; ſolareque ad Solem, ſicut magnes ad tellurem, & ad alterum magnetem, ſecundùm naturam ſeſe inclinando, & alliciendo.

Egregius vir ſcholarum ſacramento liber nouas, & ſubſtantificas entitates poterat ex mixtis eruere, quę admirandi effectus cognitionem implicarent potiùs quam explicarent. Eleuatiſſima certè philoſophandi ratio, ſed cum nec materię, nec formæ ſubſtantiali ſui initiamenti debeat rudimenta vigor iſte magneticus, neque Cœli, neque aſtra concurrant ad eius productionem, hæret meus intellectus, illaque globorum forma particularis rotundo meo capiti haud bene accomodatur, vnde re meliùs penſata ſatius fuiſſet Gilberto aſſerere à prima cauſa operante qualitatem hanc attrahendi magneti fuiſſe inditam, implantatamque quàm per tot incerta vagari, neque dum vnam conatur tollere difficultatem, legenti gordianum nodum obijcere.

18 Abſque anathematis ſuſpicione liceat in philoſophicum Patris *Cabæi* Pallium non violentam, ſed reuerentem manum inijcere, reciſoque fruſtulo ſermoni huic inſerere, quo veneranda illi accerſatur grauiſque maieſtas. *Lib. igitur 2. cap.* 15. *Magneticæ philoſophiæ* aſſerit cauſa cur magnes ferrum attrahat, ſeu cur magnes, & ferrum ferruminentur, eadem prorſus eſt cum ea cur magnes magnetem trahat, ſeu

repellat,

repellat, & pari paſſu de vtraque attractione, & fuga philoſophandum eſt. Et hoc implicitè ſaltem ſi non explicitè dixerunt grauiores philoſophi, qui de magnete, & ferro prudentiùs diſputarunt, vt *Galenus*, *Albertus Magnus*, & expreſſius *S. Thomas*; cuius illud eſt, ferrum à magnete trahi, non quod propriè trahatur, ſed quia in eo producitur qualitas, cuius beneficio deinde ad magnetem contendit: vnde nec propriè tractio, aut expulſio, ſed ſequela, & fuga dici debet, mouetur igitur ferrum ad magnetem, eò quod à magnete in ferro vbi primùm intra orbem ſuę virtutis illud habuerit, duarum facierum magnetica qualitas producitur, & quidem producitur illa, ratione, & via, ſeu ſtatu quo ſupra oſtendi magnetem circa ſe effundere radios ſuæ virtutis, qua qualitate producta fit ferrum illud veluti alter magnes: illa enim omnia præſtabit proportionaliter, quæ præſtaret, ſi eſſet verè alter magnes. Diriget ſe ad polos, excitabit alia ferramenta magneticè, & cætera huiuſmodi. Accedit etiam ad alium magnetem, quia habet in ſe permanenter qualitatem realem duarum facierum, & magnes, qui in proximo eſt, qualitatem intentionalem in ferrum producit in eodem ſitu, in quo eſt illa qualitas, quæ iam in ferro reſidet. Iuuatur ergo, & roboratur ſimili intentionali actione, ac proinde ex vi huius qualitatis, quæ iam in ferro eſt, tamquam ex vi proprij principij, & virtutis motiuæ mouet ſe ferrum ad magnetem, vt magis, ac magis iuuetur, & accedat quaſi ad locum, in quo qualitas intentionalis à magnete diffuſa vehementiùs iuuare poteſt, ac fouere qualitatem realem, quam iam ferrum in ſe habet intenſiorem.

Quæres hic Lector quid ſit iſta qualitas duarum facierum, Iani ne prognatam an philoſophicam chimæram? adi *Cabæum lib.* 11. *cap.* 6. *magnet. philoſ.* te egregiè ſuos ſenſus docebit, conqueri enim de me poſſet quod nimiùm indiſcretè agerem ſi laciniam quęrens illum philoſophico pallio nudarem.

19 Acu-

19 Acutiſſimus *kircherius* ne ſociali meſſe diteſcere videretur noua introduxit vocabula *lib.* 1. *part.* 11. *de effectibus magnetis propoſ.* 111. *in* 3. *theorematis diſquiſitione*. Nos, inquit, relictis igitur aliorum ſententijs, dicimus rectiùs non atomos, aut tenuem puluiſculum emiſſum, non attractionem electricam, quæ fit naturalibus tantùm ab humore deductis effluuijs, non aliud quippiam ſimile; ſed magnetem efficientia ſua formali, aut radicali vigore ſuo, ſiue denique qualitate illa ſua biformi, vti verticitatem, atque in polos diſpoſitionem, ita incitationes quoque haſce primariò efficere. Explicans deinde in *ſuppon.* 1. quid ſit qualitas iſta biformis aſſerit quod nos qualitatem biformem, *Cabæus* duarum facierum appellat; cuius munus duplex eſt, primò vt ſubiectum ſuum in debito ſitu conſtituat, ſecundò vt ad debitum ſitum in vniuerſo obtinendum id dirigat. *In lib. vero tertio mundi* ſiue *catenæ magnæ part.* 7. *cap.* 6. ait trahit ergo magnes non vna tantum corporeæ temperiei, ſed & prædictarum qualitatum primo genitarū ad talem gradum, per ſui terreſtreitatem deductarum vi, quibus reſpondet elementaris formæ gradus, in quo ſunt, & communicantur. Mihi diſcurſus iſte videtur duarum facierum.

20 Politiſſimi Kircherianæ Laciniæ fili excipiant chimici ſagi magnam partem, quæ licet fumum tenebroſum redoleat, non erit curioſo oculo legenti ingrata. Vltro offert hanc capiti chimico Theorico *Ioannes Faber Panchim. lib.* 4. *ſec.* 4. *de lapid. cap.* 26. Magnes, ait, ergo nil aliud eſt quam humidum viſcoſum aquæ, lutoſum, & terreum, ferreo ſulphure delibutum, virtute ſui ſalis congelatum, & condenſatum in hoc lapidis genus, quod magnes dicitur, ob mirandas eius virtutes, & proprietates, ferreo ſulphure commixtum, & delibutum. Eſſe ſuum humidum viſcoſum quo componitur ex eo patet, quod magnes facili negotio conuertatur in ferrum,

& ferrum

& ferrum in magnetem; ita vt magnes, & ferrum non diffe-rant niſi ratione puritatis ſuæ ſubſtantiæ; ferrum enim purius eſt, & plus habet mercurij, ſeu humidi viſcoſi, aquę purioris, quàm magnes, qui ferro eſt multò lutulentior, & plùs habet terræ lutulentæ quam ferrum. Hinc originem habet ſympathia illa mira, quę eſt inter magnetem, & ferrum; hinc magnes trahit ferrum, & ferrum magnetem, quòd habeant inuicem eamdem, & ſimilem ſubſtantiam primordialem, & ſeminalem, ex qua fiunt, & componuntur in viſceribus terræ, quæ ſubſtantia ſimilis, & eadem, ſimiles, & eoſdem de ſe mittit, & eijcit ſpiritus ſubtiles, & tenues, qui ab attrahente ſubſtantia, in ſe ipſam conuertuntur, tanquam in alimentum ſui ipſius, hinc fit vt attractis hiſce ſpiritibus, attrahatur & ipſa ſubſtantia, ex qua oriuntur hi ſpiritus, vt forte potiatur ipſorum ſpirituum, à fortiori fit attractio, ſi ferrum ſit fortiùs, & maioribus turgeat ſpiritibus, ac ſicciori & ardentiori ſit materia ferrum, tunc temporis attrahit magnetem: ſi è contra verò magnes &c. Hæc chimicus *Faber*, quæ philoſophicam rerum naturalium ſitim quoquomodo lenire poſſunt, non omnes tamen has aquas haurient, cum philoſophicæ ſententiæ mulierum adinſtar ſint, neque omnes vnam eandemque legant; trahit ſua quemque voluptas. Et Millia quot hominum viuunt totidem ſtudiorum

Velle ſuum vnicuique eſt nec voto viuitur vno.

21 Mihi præclariſſimorum virorum cordatiſſimi ſenſus probantur quàm maximè, primoque quos *Vratislauienſis Democritus, Daniel Sennertus epit. phyſ. lib. 5. cap. 4. affert.* Verùm enim verò ſi rem diligentiùs perpendamus vix aliquid probabilius afferre licet quàm illum mutuum rerum naturalium conſenſum de quo aſſerere poſſumus quod *lib. de alimẽto* deſcripſit *Hippocrates* Ξύρροια μία. Ξύμπνοια μία. ξυμπάθεια πάντα. Secundo quod ſenſit *Olaus Vuormius ſuo in Muſæo*

cap.

cap. 99. *lib.* 2. *ſec.* 2. Cauſa verò huius attractionis planè ignota licet in ea inueſtiganda multi deſudarint etiam ex Neotericis. Sympathiam, & mutuum rerum naturalium conſenſum hic agnoſcimus: Magnes quædam quaſi ferri vena, & matrix eſt, quia ex eo ferrum excitur: ad eum igitur fertur, vt ſui conſeruatiuum, & vt perfectionem aliquam ab eo aquirat. Se adinuicem appetunt naturæ ſymbolæ hoc teſtante philoſopho φυσις γὰρ φυσει τέρπεται.

Reſtant quamplurima de magnete curioſa elucidanda, cuius exactam ſi expetis notitiam lector adi *Gilbertum*, *Cabæum*, *kircherium*, qui acutiſſimo calamo omnia tibi explanabunt: Acus meę philoſophicę obtudi aciem, temporiſque deeſt filum, quo in longius centones conſuam, medica ſtudia aliò me rapiunt. Lectores valete, voſque rebus ſeruate ſecundis.

MVSICA INSTRVMENTA

CAPVT VLTIMVM.

POſtpoſitum fuit hoc vltimum caput centonibus philoſophicis, tum quia quæ in hoc recenſentur in loco ab ipſis deſcripti hactenus Muſæi cubiculis, etſi ſeptem ſint (connumeratis duabus bibliothecis) disiuncto, Immò, & in diuerſa domo aſſeruantur; tum quia centonũ ſubiectum ad res cubiculorum Muſæi ipſius pertinebat. A Muſæo igitur ad Muſas nos modò conuertamus, quarum chorus ad inſtrumenta muſica blandè nos inuitat: In his Thalia voluptatem cantus, Melpomene dulce melos, Terpſichore ſuauiſſimos citharæ ſonos, Euterpe tibiarum modulamina, ac demum Polihymnia numeris omnibus abſolutũ, plenumq; muſicalem concentum perſonant. Eia duce *Patre Merſennio* Muſica Inſtrumenta, quæ Nazarij inſignis Baſilicæ, paruam domum Manfredi Septalij exornant, in qua præter muſicen; Pyrotechnica, Catoptrica, tornatrix exercentur; laconicè deſcribamus.

2 Eburnea Surdellina, clauiculis argenteis quadraginta duabus inauratis, opus Manfredi Septalæ. Organum portatile dici poteſt. Vide *Patrem Merſennium lib. 2. de Inſtrumentis harmon. propoſ. XIV.*

3 Altera Surdellina, qua non perfectior altera quatuor tibiæ vtri inſeruntur quinquaginta ſex Clauiculis onuſtæ, hic quarta tibia fuit eiuſdem Septalij adinuentum per quam Inſtrumento cœleſtis hermoniæ conſonantia conciliatur.

4 Altera Surdellina quartam attingens, Septalij inuentum quadraginta duabus Clauiculis exornata.

5 Alteræ duæ Surdellinæ choriſticæ ex quadraginta duabus Clauiculis conſtantes.

6 Surdellina altera abſque Clauiculis ex bubaleo cornu tibijs quinque expleta, opera hæc Septalij manus opifices venerantur.

7 Charamellæ duæ Neapolitanæ.

8 Altera Appulla, cuius contrabaſſum ſiniſtrę ſubiacet, ſopranus dexterę, reliqui verò calami fundunt melos ad tertiam, quartam, & quintam deſcendens.

9 Bifiſtulæ duæ quarum vna diſtat ab alia nempe in tertia.

10 Octo Fiſtularum congeries humanam pandētes vocem, *Angli Graſſi* celeberrimum opus.

11 Quatuordecim altera Fiſtularum cōgeries excellentis opificis.

12 Decem altera fiſtularum congeries quarta magis deſcendente.

13 Choriſtica fiſtularum congeries eiuſdem Septalij opus. Fiſtullulæ gallicum in morem compactę quartę aſcendētis.

14 Quinque caui buxi in magnam fiſtulam deſinentes cerebroſo tono organum referente, opus induſtrioſum eiuſdem.

15 Caui octo buxi in magnam fiſtulam coeuntes, Pan hāc modulari poſſet, baſſo ſemper ludente.

16 Corna muſæ decem ſiue vtres Pictaeuci.

Serpens harmonicus, quorum vſus olim galliæ familiaris *Pat. Merſ. prop. XVI. lib. 2. Inſtr. Harmon.*

17 Eburneus Corniculus.

18 Corniculi duo.

19 Helueticarum fiſtularum ordo toni magis deſcendentis: conſtant Indico ligno odoratiſſimo leuiſſimoq; baſſi in dua fruſta diuiſi, laminis argenteis connectuntur *Anglici Graſſi* Politiſſimus labor.

20 Alter Helueticarum fiſtularum ordo choriſticus ex cauo Buxo *Graſſi* opus.

21 Alter

21 Alter ordo, ſed omnes decem fiſtulæ in duas partes diuiſæ voce à choriſtica deſcendente, *Graſſi* ingenioſum opus.

22 Alter ordo vocis magis aſcendentis.

23 Fiſtulæ compactæ tres, ſeu facotti, Choriſta vnus, alter aſcendentis quartæ, tertius quartę deſcendentis.

24 Quatuor tibiæ replicatæ ſiue Courtaut Septalij opera, qui ſentit hos veros eſſe facottos, longitudine palmum non aſcendunt. Sint, nec nè? ego non Iudico cecinit.n. Poeta.

Nauita de ventis, de bobus narret arator;
Enumeret miles vulnera, paſtor oues.

25 Tres dulces fiſtulæ in vnam coeuntes, in tertia ſonum edunt, Opifices manus eædem fuerunt.

26 Fiſtularum ordo ex aſtachorum marinorum craſſiſſimis chelis efformatus. Aſtacus marinus quid ſit vide *Aldrou. de cruſta lib. 2. cap. 3. de aſtaco.*

27 Baſſus nempe tenores duo, ſopranuſq; Septalij hoc fuit ingenioſum inuentum, dum iuuentutis ſpiritibus actus viſendi Europæ celebriores Vrbes, Venetijs Bachanalium tempore ſubſiſteret, fuere intermedij in comœdia, cuius campus maritimus erat, dedere ſe in conſpectum Tritones quatuor, non tam muſica, quam muſicis Inſtrumentis ſpectabiles. Plauſit inopinatæ inuentioni totum theatrum fiſtulis ad ſonatores naturaliter adaptatis.

28 Heluetiarum fiſtularum buxeus ordo contrabaſſis, & contra barytonis conſtans, eiuſdem labor.

29 Tibię decumanę duplices, & ſimplices. Spinæ variæ.

30 Maritimæ tubæ quarum vna exigua, altera maior, vna tantum corda ſcamnulo mobili, & ſe mouente dum arcus præſumit cordam: hæ tubæ ſunt Triangulares altitudinis vnius hominis, & ſono gratæ.

31 Dulcemelos cuius cietur ſonus ebeninis duobus bacillis retortis, pluribus cordis cithararum munitum.

32 In-

32 Inſtrumentum calabrenſibus familiare quam ludicra lingua, *But tafuoco* dicunt Africanis quoque notum.

33 Inſtrumentum aliud dulcemelos ad inſtar, Germanis familiare omnia hęc cithararum cordis muniuntur.

34 Bijugata teſtudo eburnea. *Pater Merſen. de Inſtr. Har. lib. p. propoſ.* 8.

35 Citharæ bijugæ.

36 Teſtudo Gallica.

37 Citharæ duę organo inexiſtente.

38 Cithara bijugata.

39 Cithara in lyram compaginata.

40 Citharę duæ ex vno corpore reſultantes in Hiſpanijs editæ.

41 Citharæ ordinariæ.

42 Ex locuſta marina compacta citharula. Locuſta marina quid ſit vide apud *Aldrou. de cruſt. lib. 2. cap. 2.*

43 Spurius Violarum ordo Anglicus.

44 Barbituli, & Violæ quam plurimæ.

45 Viola Notha neruis vndecim.

46 Archiuiola Neapoli conſtructa plurium cordarum.

47 Archiuiola parte aſcendentis.

48 Alterę duę Archiuiolæ ſtructurę diſſimilis.

49 Lyra.

50 Germanicæ Lyræ duæ quę rota circumducuntur.

51 Barbitulus ex eois regionibus à Septalio in Italiam allatus, cuius corpus *indica nux* conſtituit, longo, in extremo, exerente ferro.

52 Buxea Citharula eoæ regionis opus diligentiſſimum, & admirandum.

53 Clauicimbalum ſingulare.

54 Ne Proteus inter Inſtrumēta deſit adeſt organo regale, flandricum opus, cuius melos, vel regalis, vel organi, vel vtrorumq; reſonat virginale.

55 Ex

55 Ex Harmonicis campanulis contextū clauicymbalum.

56 Antiquorum ciſtrum.

57 Ferreus triangulus, cui varij inſeruntur annuli. Triangulus ferrea virga percutitur, annuliq; in feſtiuum ſonum ſubſiliunt, hoc Germani vtuntur.

58 Baculi decem, & octo quorum longior palmi ſupra dimidium exiſtit. Hi vniformiter, difformiter in pyramidale veluti latus excreſcentes, ligneo percuſſi malleolo, haud ingratum ſonum remittunt.

59 Cymbalum africanum, varijs, orbibus ex auricalco concauis crepundijſque inexiſtentibus, quod dum manibus percutitur barbarum concinit melos.

60 Si quid in referendis harmonicis Inſtrumentis deliqui, corrigent errores meos. *Pater Merſennius* ſuperiùs citatus, nec non Acutiſſimus *kircherius in ſua magna arte*, conſoni, & diſſoni, ſi muſicam ſitis, hos adi fontes, & nectareum melos potabis, de me enim in hac Muſica prouincia feram vulgatum adagium tanquam muſicum ad prouinciam.

61 Adſunt alia cubicula criptarum nomine inſignita, quarum vna ſpeculares continet formas, in quibus ſpecula primò delineata funduntur.

62 Orbes adſunt viginti quatuor ex ære teleſcopiorum vitris expoliendis inſeruientes.

63 Continet huic ſuperior cripta formas omnes ex quibus teleſcopia deducuntur exordiendo à maximo quinquaginta palmorum vſque ad minima cuiuſcumq; ſpeciei, quibus fabricandis, quàm maximè Septalius delectatur; itaut dum ſupra neminem ſe profitetur, ſic neminem in hac arte ſibi antepoſitum velit.

64 Cubiculum alterum tornatili mundo conſpicuum eſt, & alterum mathematicis Inſtrumentis diues.

65 Locus inferior alter adeſt, in quo ſpagirica viget.

FINIS.

INDEX
CAPITVM, ET CENTONVM PHILOSOPHICORVM PRÆSENTIS MVSÆI.

Specula multifaria. Caput primum. pag. 1
Specula Cylindrica. Caput ſecundum. 5
Lentes opticæ. Caput tertium. 5
Teleſcopia multiplicis longitudinis. Cap. 4. 6
Inſtrumenta mathematica. Cap. 5. 8
Horologia varijs artificijs conſtantia. Cap. 6. 10
Motus quaſi perpetui. Cap. 7. 13
Corallia diuerſi coloris, & formæ. Cap. 8. 17
Cryſtalli, cryſtallorumque mineræ, Amethyſti, & Achatis. Caput 9. 22
Succinum, ſiuè karabe, vulgo Ambra. Cap. 10. 26
Cochlearum, Concharum, & aliorum teſtaceorum varia genera. Caput 11. 28
Conchæ maiores. Caput 12. 35
Petrificatæ res variæ. Cap. 13 36
Mineræ diuerſarum ſpecierum. Cap. 14. 38
Lapides pretioſi, & ſingulares. Cap. 15. 39
Magnes miræ virtutis lapis. Cap. 16. 42
Fungifer lapis. Caput 17. 42
De lapide fulminari. Cap. 18. 43
Camei ſiue oniches lapides. Caput 19. 49
Annuli cum gemmis ſingularibus. Cap. 20. 52
Nicoli, & aliæ gemmæ extra annulos. Cap. 21. 54

Vaſa

Vaſa fictilia diuerſa, Terrea, Alabaſtrina, Vitrea, Singularia. Caput 22. pag. 56
Vrnæ, & lucernæ. Cap. 23. 59
De Porcellana, & Charanno Chinicis. Cap. 24. 60
Curioſa quædam artefacta in Europa, & India. Cap. 25 63
Fructus Exotici. Cap. 26. 64
Bezoartici lapides. Cap. 27. 69
Vnicornium, & Rhinocerotum cornua. Cap. 28. 74
Dentes peregrinorum animalium. Caput 29. 80
Rara aliquot animalia. Caput 30. 82
Piſces aliquot peregrini. Cap. 31. 84
Variæ diuerſorum animalium partes. Cap. 32. 85
Mumiæ, vel potius membra mumiam ſundentia. Cap. 33. 86
Aues duæ ſingulares Indicæ, Orientalis vna, Occidentalis altera. Caput 34. 87
Exotica quædam coloratis auium Indicarum plumis contexta Caput 35. 91
Clauæ variarum regionum. Cap. 36. 92
Arundines quædam notabiles. Cap. 37. 93
Arcus, & Pharetræ cum ſuis ſagittis. Cap. 38. 94
Balliſtæ diuerſi generis. Cap. 39. 95
Cloſtra arcani, & elegantis artificij. Cap. 40. 97
Ligna odorifera, & alia pretioſa. Cap. 41. 98
Vaſa eburnea, quæ Manfredus Septalius maxima Toreutices gloria ingenioſiſſimis laboribus confecit. Cap. 42 102
Vaſa mediocria, altitudine palmum geometricum ſuperantia, & quædam alia opera tornatilia. Cap. 43. 105
Vaſa lignea maiora, & quædam alia opera tornata. Caput 44. pagina 107
Opera Auguſtæ Vindelicorum tornata, quæ nonnulli amicitiæ vinculis vincti dono dedere. Cap. 45. 108
Subtiles fili à Septalio tornati, vnà cum vaſculis. Cap. 46. p. 109

Pixides, & varia alia diligenter torno elaborata. Cap. 47. p. 110
Minutiſſima quædam Toreumata. Cap. 48. pag. 114
Varia ſimulacra. Caput 49. 115
Cultri ſingulares. Caput 50. 118
Balſama Orientalia, & Occidentalia. Cap. 51. 119
Olea à Septalio extracta lucernæ ope. Cap. 52. 124
Extracta diuerſi generis. Caput 53. 125
Sales diuerſi. Caput 54. 125
De Amianto. Caput 55. 126
Libri peregrinis characteribus conſcripti, & chartæ exoticæ, nec non ex folijs, ſeu corticibus arborum. Cap. 56. p. 128
Exotica varia artefacta in India, & alibi. Cap. 57. 131
Pragmata Germanica vaga. Caput 58. 134
Indicarum exoticarum rerum officina medicamentaria. Caput 59. 136
Scrinia in ſe pretioſa, & rerũ pretioſarum plena. Cap. 60. p. 139
Vitrei globi, quibus variæ curioſitates inexiſtunt, artiſq; ignaris, artis miracula videntur. Cap. 61. 141
Tabulæ lapideæ pictæ. Caput 62. 142
Florentini lapides, ſuper quos natura ludens regiones, & oppida adumbrauit. Cap. 63. ibid.
Tabulæ pictæ diuerſi generis. Cap. 64. 143
Bibliotheca Septaliana. Caput 65. 151
De inſignioribus bibliothecis orbis ad annum 1660. à Chriſto nato. 154
Numiſmata Græca, Romana, Punica, Cretica, Smyrnenſia, aliaq; quamplurima probatioris tamen ſolummodo notæ, quæ in Septaliano Muſæo aſſeruantur. Cap. 66. 168
Numiſmata vetera. ibid.
Appendix. 211
Numiſmata recentiora. Caput 67. 212
Romanorum Pontificum. ibid.

Car-

Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, alÿq; Præſules. pag. 219
Imperatores, & Reges. 222
Principes, & Duces. 224
Reginæ. 228
Ducıſſæ, & Principes fœminæ. ibid.
Magnates in bello, & Pace Illuſtres. 231
Viri in literis, alÿſque artibus Illuſtres à num. 75. 235
Muſica Inſtrumenta. Caput vltimum. 285

Logocentrones, ſiue Centones Philoſophici.

De ortu, & materia cryſtalli. Cento primus. pag. 241
De Coralÿs. Cento ſecundus. 250
De Teſtaceis e montibus effoſſis, & lapidificatis. Cento tertius. pag. 254
De Agate, ſiue Achate. Cento quartus. 259
De Succini ortu. Cento quintus. 262
De Ambaro. Cento ſextus. 267
De Magnete. Cento Septimus. 273

INDEX

Alphabeticus rerum præcipuarum, quæ in Muſæo Septaliano coaceruatæ recenſentur in hoc libro.

A

ACHATES ouatus, & perſpicuus, auellanam molem æquans, cuius in meditullio innatat pellucidus humor, quē *En hydron Plinij* eſſe fatendum eſt. *Centone* 4. *num*. 3. *pag*. 260

Achates Enhydros quomodo generetur. *dicto cent. n*. 4. *ibid*.

Achates malo limonio figura ſimilis, beryllis intus fęcundus. *Cap*. 15. *num*. 14. *pag*. 40

Achates beryllis intus refertus, quomodo generetur. *cent*. 4. *n*. 5. *pag*. 267.

Achathes oblongus in formā tubi palmaris intus cryſtallis micans. *cap*. 9. *n*. 38. 25.

Achatis orientalis globuli varijs rebus, ac feſtucis intus referti. *cap*. 15. *n*. 9. & 11. 40.

Achatis ſardonici fruſta varijs figuris intrinſecus, & extrīſecus ſignata. *n*. 10. 14. 15. *ibid*.

Achatis etymon, & diuerſæ ſpecies. *cent*. 4. *n*. 1. 2. 260.

Achates cū inciſo *Caio Mario*. *cap*. 19. *n*. 24. 52.

Achates cum inciſo *Cicerone*: *d. cap. n*. 21. 51.

Achates alij diuerſis figuris inſculpti. *d. cap*. & *cap* 21. 55.

Alcis cornua, & vngula. *cap*. 28. *n*. 23. 24. 79.

Alcyonio innati rami rubri coralij. *cap*. 8. *n*. 38. 21.

Aloe. *Aloaſtrum*. vide *ligna*.

Ambarum vulgo Ambra. *cap*. 10. *pag* 26. vide *Succinum*.

Ambarum An e terra latente in mari fungorum inſtar enaſcatur, vel excrementum ſit alicuius animalis. *cent*. 6. *num*. 5. 6. 7. 8. 9. 10. *pag*. 270. & *ſeq*.

Ambari duæ ſpecies, vna terreſtris, quod ex annoſis arborum quarumdam truncis ſcaturit fungorum in modum in Aua regione, alia maritimi. *d. cent. n*. 11. *pag*. 272.

Amethyſtus palmaris diametri. *cap*. 9. *n*. 36. 25.

Amethyſtus orientalis cum *Veneris*, & *Amoris* inciſis imaginibus *c*. 21. *n*. 20. 55.

Amiantus lapis deſcribitur.

cap. 55. n. 1. pag. 126.

Amiantina opera textilia, videlicet Marſupia cũ ſuis floccis, & cordulis, funes, filorum glomi, telæ, chartæ, & alia, quę grato intuentium ſpectaculo igni ſuperpoſita reſiſtunt, vt experimento facto Sereniſſimus Archidux Oenipontinus, cum Sereniſſima Archiduciſſa coniuge in ipſo Muſęo iucundè inſpexerunt. *cap. 55. n.2. & ſeq. pag.* 127.

Amianti fruſta varia e diuerſis partibus allata, & Amiantus nendo paratus. *n. 9. ibid.*

Amianto lignum ſimile quod non comburitur. *n. 15. ibid.*

Animalia quædam rara. cap. 30. pag. 82. & ſeq.

Anime, ſiue thus Mexicanum, eiuſque deſcriptio. *cap. 51. n. 7.* 122

Annuli cum gemmis ſingularibus, quibus diuerſæ inſignes figuræ inſculptæ ſunt. *cap. 20. n. 1. & ſeq. pag. 52. & ſeq.*

Aquilinus lapis ingentis molis, & alij non vulgares. *cap. 15. n. 1. 2. 3. pag. 36.*

Arcus, & ſagittæ, cum ſuis pharetris varij operis, materię, & artificij. Braſilienſium, Floridanorum, Venetorum, Turcarum, Sfacciattorum, Tunetanorum, Algerianorum, Tartarorum, Perſarum, Polonorum, Moſcouitarum, & aliarum gẽtium. *cap. 37.* 94

Armadilli duo cataphracta Indica animalia, & eiuſdẽ animalis deſcriptio. *cap. 30. n. 5. p. 82.*

Arundinis Indicæ fructus. cap. 26. n. 8. 67.

Arundines Indicæ diuerſi generis. Vna magnæ molis, ſed leuiſſima. Alia, & molis, & ponderis ingentis. Aliæ ſubtiles, interquas vna funis in modum flexibilis eſt, & aliæ varię, cum feniculis Indicis luciſſimis, Iunciſq; Indiciscraſſis ſed leuiſſimis, & alijs arundinibus, ac baculis non vulgaribus. *cap. 36. pag. 93.*

Aſbeſtos. vide *Amiantus.*

Aſtrolabia priſca, & moderna. *cap. 5. num. 5. 6. 19. 24. pag. 8. & 9.*

Aſtrolabium horologio affixũ, in quo per motum horologij eclypſes Solis, & Lunæ ſuo tẽpore notantur. *cap. 6. n. 2.* 11.

Atramentaria curioſa Chinenſia, & Indica con ſuo atramento. *cap. 25. n. 1. & ſeq. p. 63.*

Aues Paradiſi dictæ, ſeu *Apodes*, ſeu *Manucodiata*, duæ in muſæo, quarũ vna pedibus prædita, altera ijs carente; ſedquia ipſi auulſi ſunt, quod probatur alijs etiam exemplis, & authoritatibus. *cap.* 33. *n.* 1. *& ſeq. p.* 87.

Auicula Americana, nomine *Ouriſia* ſiue *Tomienos* longè minima, inſtar papilionis, ſubtiliſſimis, & elegãtiſſimis plumis colorem variantibus pro ratione conuerſionis ad lucem. *d. cap. n.* 4. 90.

Auium exoticarum roſtra, & crania curioſa. *cap.* 32. *nu.* 11. 12. 13. *pag.* 85. 86.

Auium Indicarum plumæ diuerſi coloris, ex quibus contextæ ſunt induſtria mirabili imagines, veſtes, ac præcipuè vna Sacerdotalis elegantiſſima, aliaque huiuſmodi Indica artefacta. *cap.* 34. *n.* 1. 91.

B

B*Alenæ dens*. *cap.* 29. *n.* 12. *pag.* 82.

Balliſtæ diuerſi generis tam Florentiæ, quàm alibi confectę priſcæ, & modernæ, iacientes pilas, & ſagittas, breues, & longæ, cum ſuis intenſorijs machinis, & ſagittis varijs. *cap.* 38. *n.* 1. *& ſeq.* *pag.* 95. *& ſeq.*

Balliſta talis artificij; vt cum ex tubo, & arcu conſtet diſplodatur modò vi nitrati pulueris, modò venti, ſiue aeris cõpreſſi ope, modò pilam cretaceam arcu iaculetur, huius inuentor Septalius. *d. cap. n.* 7. *p.* 96.

Balſama orientalia in cocculis aſſeruata, & occidentalia in cucurbitulis. *cap.* 51. *p.* 119. *& ſeq.*

Balſamum de Tolu eiuſdẽq; deſcriptio, & proprietates. Opobalſama. Liquidãbar. Copal. Anime. Tecomahaca. Gummi lacha. Gummi gutta. Sanguis draconis orientalis, & occidentalis. Benzoin. Stirax. Olibanum. Maſtix. Gummi Guaiaci. Pix cedria. Lacrimæ Americanæ. Gummi Garyophillorum, & alia reſinarum gummiq; diuerſa genera. *ibid.*

Beryllorum minera in vtero Achatis generata. *cap.* 15. *nu.* 14. *pag.* 40.

Bezoar lapidis etymon, & origo. *cap.* 27. *num.* 2. *& ſeq.* *pag.* 69. *& ſeq.*

Bezoartici lapidis occidentalis quatuor ſpecies. *d. cap. n.* 5. *& ſeq.* *pag.* 72. & 73.

Bezoar-

Bezoartici lapides veri orientales, & occidentales omnium ſpecierum. *d. cap. nu.* 11. 12. *pag.* 73.

Bezoartici lapides humani, & alij. *d. cap. n.* 15. *& ſeq.* 74.

Bibliotheca Septaliana ſeptem millia, ducenta, nonaginta volumina complectens, ex quibus greca non pauca, & ſexcenta manuſcripta, diſtributa iuxta materiarum, & artium diſtinctionem: inter quæ non infimum locum tenent ea, quæ ad Indiarum deſcriptionem pertinent, & quæ ad Orbis vniuerſi Coſmographiam, vt ſunt noui Atlantes, & ea quæ totius orbis Ciuitates typis exaratas exprimunt pluribus tomis. Nec prætereundi Septem ingentes tomi, in quibus multiformes typi ad numerum viginti millium glutinati in albis folijs, celebriorum pictorum opera eorumdem ſimulacris adnexa offerunt. Quibus ex tomis Septimus genealogicas Regum, Principum, Procerumque arbores continet. Septemq; alij tomi gratum euoluentibus ſpectaculum præbent, qui Muſæi ipſius curioſitates præcipuas à diuerſis pictoribus delineatas ad viuum exprimunt. *cap.* 65. *n.* 2. 3. 4. 5. 6. *pag.* 151. *& ſeq.*

Bibliothecæ inſigniores orbis à Chriſto nato ad ann. 1660. enumerantur Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum, Germanorum, aliarumque nationum tàm Europæ, quàm Aſiæ. *cap.* 65. *n.* 7. *& ſeq. p.* 154. *& ſeq.*

Bibliotheca Vaticana Romæ. *d. cap. n.* 28. 161.

Bibliotheca Eſcurialis in Hiſpania. *d. cap. n.* 29. 162.

Bibliotheca Pariſienſis in Gallia. *d. cap. n.* 30. 163.

Bibliotheca Ambroſiana Mediolani. *d. cap. n.* 32. 164

Bibliotheca Barberina Romę. *d. cap. n.* 33. 165

Bibliotheca Mazzarina Pariſijs. *d. cap. n.* 34. 166

Bibliotheca Florentina. d. cap. num. 35. *pag.* 166.

Buccinum. vide *Conchæ maiores.*

C

Cacao fructus Americanus. *cap.* 26. *n.* 35. *pag.* 69.

Caciombe fructus Peruanus. *d. cap. n.* 2. 65.

Calamba lignum odoriferum *cap.* 40. *n.* 1. 2. 3. 4. *p.* 98. *& ſeq.*

Calamba adeo pretioſum eſt, vt illius fruſtum tricubitale Sereniſſimus Hetruriæ Magnus Dux emerit Hungaris quater mille. *ibid.*

Camei permulti naturaliter varijs coloribus ita diſtincti, & inſigni cælatura ſic elaborati, vt vultus ad viuum referant, inſculptiſque figuris res geſtas, & hiſtorias mirabiliter repręſentent. *cap.* 19. *n.* 2. *& ſeq. p.* 49. *& ſeq.*

Camei vocis etymon. *d. cap. n.* 1. *ibid.*

Camphora an ſit ſpecies ſuccini, & an ex plantis exſtillet. *cent.* 6. *n.* 3. 4. 269.

Cancer Marinus ex maioribus. *cap.* 31. *n.* 11. 85.

Cancer Volucanus. n. 7. *ibid.*

Canis piſcis tricubitalis. *d. c. n.* 2. 84.

Canella ex zeilan. vide *ligna.*

Capræ Indicæ caput cum barba, & cornibus inſolitæ magnitudinis. *cap.* 28. *n.* 27. *p.* 79.

Carneolus, ſiue *Corneolus* inſculptum *Senecam* philoſophũ phlebotomizatum referẽs. *cap.* 19. *n.* 15. 50.

Carneolus alter in quo *Conſul Romanus* eleganiiſſimè inſculptus. *cap.* 21. *n.* 19. 55.

Carneolus cum facie *Cleopatræ* venuſtè inciſa. *cap.* 19. *nu.* 23. *pag.* 52.

Carneolus alter cum capite muliebri inciſo. *cap.* 20. *nu.* 5. *pag.* 53.

Carneolus ſiue *Sordius* lapis alter cum inſculpto Annuntiationis myſterio. *cap.* 19. *nu.* 11. *pag.* 50.

Chamæ. vide *Conchæ.*

Chamæleontes duo. *cap.* 30. *nu.* 6. *pag.* 83.

Charanni ſiue Sandarachæ Chinenſis opera exotica varia. *cap.* 24. *n.* 10. *& ſeq.* 63.

Charabe vulgo *Ambra*. *cap.* 10. *pag.* 26.

Chinenſes libri. Characteres. Chartæ figuris varijs, & Coſmographijs Chinenſibus impreſſæ, & alia curioſa in hoc genere. *cap.* 56. *p.* 128. *& ſeq.*

Chinenſis chartæ folia inſolitæ magnitudinis, quorum vnum longitudinis eſt octocubitalis, latitudinis verò bicubitalis. *d. cap. n.* 6. 8. 129.

Chinenſia, & Indica quędam atramentaria, & alia quædam artefacta curioſa. *cap.* 25. *n.* 1. *& ſeq.* 63.

Chi-

Chinenſis tela eximij operis figuris varijs intertexta. *cap.* 57. *n.* 1. *pag.* 131.

Chocolatis potionis in Indijs varia genera, ac eiuſdem confectio, & vſus. *cap.* 57. *num.* 7. *pag.* 132. *& ſeq.*

Chocolatis proprietates. *ibid.* *& cap.* 26. *n.* 6. 258.

Cinnamomum verum. cap. 40. *num.* 32. 101.

Vide etiam. *Oleum.*

Circini. vide mathematica inſtrumenta.

Clauæ Braſilienſium ex ligno vulgo *Palferro*. Chilenſium lapideę. Polonorum ferreę. Moſcouitarũ. Tartarorum. Et aliæ. Vnà cum haſta perlonga ex ligno Indię floridanæ. *cap.* 35. *n.* 1. *& ſeq.* *pag.* 92.

Clauicymbala ex ſe ſonos modulantia, cum figuris ſaltantibus ſuper impoſitis. *cap.* 6. *nu.* 9. 12. 13. 14. 12. *&* 13.

Clauicymbalum ex campanulis harmonicis compactum. *cap. vlt. n.* 55. 289.

Clauicymbalum aliud ſingulare. *d. cap. n.* 53. 288.

Cloſtra ſiue Seræ curioſiſſimi artificij. *cap.* 39. 97.

Coccus Maldiuenſis. cap. 26. *num.* 1. *&* 5. *p.* 64. *&* 67.

Cocculi alij Maldiuẽſes n. 5. *pag.* *ibid.*

Cocculi Peruani, & alij n. 10. *pag.* *ibid.*

Cochleæ diuerſi generis Turbinatæ, Buccinatæ, Roſtratæ, Mucronatæ, Frigiatæ, Faſciatæ, Rugoſæ, Neritæ, Cylindroides, Corniculatæ, Trochulatę, Tuberoſę. Notis muſicis, tigridis maculis ſignatæ; referentes teleſcopium. Tulippas, & alias figuras, varijſque huiuſmodi nominibus indigitatæ. *cap.* 11. *pag.* 31. *& ſeq.*

Cochleæ diuerſicolores, ſplendentes, lucidæ, radiatæ, & ita variegatæ albo, nigro, rubeo, viridi, flauo, caſtaneo, aurato, rauido, coloſſino, alijſque permultis coloribus, vt opere moſaico elaboratas diceres. *ibid.*

Cochleæ petrificatæ. cap. 13. *n.* 7. 23. 27. *pag.* 36. *&* 37.

Cochleæ & oſtreæ, quibus innatum Corallium, & in ramos fruticat, & in toto, vel in parte eas incruſtat. *cap.* 8. *n.* 22. 23. 24. 40. *pag.* 19. *& ſeq.*

Cochlites, Buccinites, Muricites, Turbinites, Pectinites, & alia

alia huiuſmodi cuiuſuis generis teſtacea lapidefacta tam paruæ, quam magnæ molis e montibus Dertonenſibus eruta *cap.* 13. *n.* 27. *pag.* 37.

Cochlearum, & Concharum in motibus petrificatarum productio, An tribuenda primæ cauſæ. An diluuio vniuerſali. An aquis terram ſubeuntibus. *cent.* 3. *n.* 1. 2. *& ſeq. pag.* 254. *& ſeq.*

Cochlearum, Concharum, & aliarum rerum, quæ ſub terra fit lapidificatio tribuitur ſemini lapidifico. *cent.* 3. *n.* 6. 258.

Conchæ diuerſa nomina, & genera ſortitæ. Nautili. Murices. Turbines. Pectines. Chamæ. Mytili. Purpuræ. Patellę. Conchę margaritiferę. Imbricatæ. Venereæ. Striatæ. Mucronatę. Coralloides, & aliæ *cap.* 11. *pag.* 28. *& ſeq. & cap.* 12. *pag.* 35.

Conchæ diuerſicolores ibid.

Conchæ petrificatæ cap. 12. *n.* 7. 8. 23. 27. 36. & 37.

Concharum montanarũ productio, & lapidificatio. Vide *Cochleaum &c.*

Conchæ maiores ingẽtis magnitudinis Buccina, Purpuræ, & aliæ *cap.* 12. 35.

Coni cedri de libano fructus. cap. 26. *n.* 4. 67.

Copal reſina Mexicana odorata, candida, & tranſparens, eiuſque deſcriptio. *cap.* 51. *n.* 7. *pag.* 122.

Coralia diuerſi generis. *cap.* 8. *pagina* 17.

Coraliorum rami rubri, cinnabarini, & medij coloris. *cap.* 8. *n.* 2. *& ſeq. pag.* 17. *& ſeq.*

Coraliorum rami candidi. *d. cap. n.* 12. 13. 15. 23. *p.* 18. *& ſeq.*

Coralium album cum maculis rubeis *d. cap. num.* 21. *&* 41. *pag.* 19. *&* 21.

Coralium nigrum. *d. cap. n.* 15. 20. 21. *pag.* 18. *&* 19.

Coralium carnei coloris. *d. cap. n.* 13. 14. 15. 18.

Coralium enatum ſuper oſtreis, & cochleis. *d. cap. n.* 22. 23. 24. 40. *pag.* 19. *& ſeq.*

Coralij rubri rami Alcyonio innati. *cap.* 8. *n.* 38. 21.

Coralia cęlaturis inſignibus elaborata. *cap.* 8. *n.* 7. 9. 16. 17. *pag.* 18. *&* 19.

Coralij quędam *proprietates d. cap. n.* 42. 21.

Coralium An ſub vndis ſit herba mollis, quæ extracta ab

aere

aere induretur. An verò durum e fundo maris expiſcētur. *cent.* 2. *n.* 1. 2. 3. *pag.* 250. *&ſeq.*

Coraliorum coloris diuerſitas vnde proueniat. *d. cent. n.* 45. *pag.* 253.

Corneolus. vide *Carneolus.*

Cornu Vnicornis purcherrimum naturaliter ſtriatum. *cap.* 28. *n.* 1. 74.

Cornu aliud Vnicornis magis exiguum. *d. c. n.* 17. 79. Vide etiam *Vnicornis.*

Cornua Gazellæ recta, & retorta. *d. cap. n.* 18. & 19. 79.

Cornua Rhinocerotis duo maxima, & duo minora. *n.* 21. 22. *ibid.*

Cornua, vnà cum vngula Alcis. n. 23. *&* 24. *ibid.*

Cornua duo *Cerui* maxima. *n.* 25. *ibid.*

Cornua Damæ. d. cap. n. 26. *pag.* 79.

Cornua Americani Bouis inſolitæ magnitudinis. *n.* 28 *ibid.*

Cornua quædam alia non ordinaria. *ibid.*

Vaſcula tornata ex cornu diuerſorum animalium ad vſum officinæ medicamentariæ. *cap.* 59. *n.* 1. 136.

Crocodili integri diuerſę magnitudinis, tàm amphibij, quā terreſtres. *cap.* 30. *n.* 1. 2. 3. 4. *pag.* 82.

Crocodili Americani media mandibula, quatuor palmorū longitudinis, quæ molem belluæ ingentem arguit. *d. cap. n.* 8. *pag.* 83.

Cryſtalli quamplurimæ herbis virentibus, paleis, gramine, villis, pilis, ligneis fruſtulis, & cæteris ſimilibus diuerſos colores referentibus naturaliter intus refertæ. *cap.* 9. *n.* 3. 4. 5. 6. 7. 9. 10. 11. 14. 15. 44. 49. 50. 51. 53. 56. *pag.* 22. *& ſeq.*

Cryſtalli fruſto ineſt oliuæ folium. *d. cap. n.* 55. 26.

Cryſtallus vermiculos ſinu fouens. *d. cap. n.* 13. 23.

Cryſtallus labruſcis plena. *n.* 19. *ibid.*

